Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/memorabiliabibli00kran

MEMORABILIA BIBLIOTHECÆ PUBLICÆ ELISABETANÆ WRATISLAVIENSIS,

à

Fundatore Celeberrimo

REHDIGERIANÆ

dictæ,

Quæ

A. O. R. M. DC. XCIIX. die xv Maji,

In Actu Gymnaſtico

à Studioſâ Gymnaſii Eliſabetani Juventute

exponi fecit

Gottlob Krantz/ Hiſtor. Eloq. & Phyſ.

Prof. & Bibliothecarius.

WRATISLAVIÆ,

apud Johannem Georgium Steck,

M. DC. XCIX.



Perenne Eqveſtris Ordinis, THOMA, Decus
Sileſiorum, Litterariæ rei
Aſſertor ingens, conſecraſti tempora
Dulcis Juventæ, ſedulas curas tuas,
Iterq́ longum, ſplendidasq́ ſumtuum
Locationes Literarum commodo,
Gazasq́ largus uſibus librarias,
(Pretioſa Dona!) detuliſti publicis.
ITA Mille GRATOS gratus HEREDES ALIS;
Tot inde lingvas ad tuas laudes vocas,
Qvot Eruditi munus hoc tuum vident,
Qvot eruditos contuliſti codices;
Tituloſq́ laudum tot tuæ famæ paras,
Titulos Librorum qvot ſupellex exhibet.

Illuſtri Domino,

DOMINO

MAURITIO GVILIELMO,

Lib. Baroni de REHDIGER,

Toparchæ in Striſa, Schebiz, Mega, Muritſch, &c.

Seniori & Eximio Decori Illuſtris Familiæ REHDIGERIANÆ,

Domino & Patrono ſuo,

Quovis obſequii genere colendo

S. P. D.

Gottlob Krantz.

JUre ſuo frontem pagellarum harum ſibi depoſcit Illvstre Nomen Tvvm, partim, quo Orbis Eruditus, dum incomparabilia Proavorum & Agnatorum tuorum celeberrimorum in Rem Publicam & Literariam merita veneratur, plenum in hodierno flore & incrementis Hæredum tantæ Virtutis, tantæque gloriæ gaudium ſentiat, partim, ne ſincerus gratæ mentis affectus eorum lateat, qui Cimeliis literariis Rehdigeriano Beneficio in Poſterorum emolumenta relictis quotidiè fruuntur. Ignoſce, Per-Illvstris Baro, quod inter quotidianas Majorum Tuorum delicias verſans tantorum Meritorum uſu in ſtuporem raptus, nec animi mei impetum ingrato

ſilen-

ſilentio reprimere, nec dignis elogiis illud efferre valeam, quod vix Tullianâ facundiâ ſatis celebrari poſſet; & permitte, ut pauca quædam in memoriam revocem, quæ ante Seculum non Sileſia ſola, ſed & totus politior Orbis in Proavis tuis admiratus eſt. Non ſtemmatis Decus, & Generoſi Sangvinis Antiquitatem, qui materno genere per Lindeſienſes Crafordiæ Comites ad ipſos Stuardos, Scotiæ Reges pertingit, producam, ſed ab Illuſtri fulgore remotus, & in Literarum umbrâ conſtitutus, ea tantum referre volo, quæ grati Literatorum calami, infinitis Tuorum Meritis excitati, in eorum laudem chartis inſcripſêre. Hoc audacter aſſero, vix ullam Familiam tot Literatisſimos Heroës, tot Eruditorum Mecænates Orbi exhibuiſſe, quam

REHDIGERIANAM, cujus Gloria in TE, ILLVSTRIS PATRONE, Agnatosq́ue Tuos Generoſisſimos hæreditario jure devoluta eſt. Deceſsit, ut dictis fidem faciam paulò ante Seculi XVI medium NICOLAVS à RHEDIGER, præter antiquæ Proſapiæ laudem, variarumq́ue Virtutum decus, quinque Filiorum Pater, quorum ſinguli memoriam ſuam virtute planè ſingulari, & admiranda Eruditione æternitati conſecrarunt. JOHANNES, natu maximus, quem *Solem Breslæ, jubar Elyſiæ, Pragæ Ocellum*, Poëta quidam non illepidè vocat, poſt ingentia Itinera, abſolutumq́ue Studiorum curſum à Maximiliano II Imperatore Glorioſisſimæ memoriæ in Aulam vocatus, Conſiliarius, & Appellationis Regni Bohemiæ Collega conſtituebatur; ſed Legationem Danicam juſſu Cæ-

Cæſaris Optimi obiturus, præmaturâ morte hominum conſortio eripiebatur; cujus obitum THOMAS Frater in ſcriptis ad Joh. Cratonem literis acerbiſſime deflet ejusq́ue liberariam ſupellectilem exquiſitisſimam injurioſè direptam, Nummosq́ue pretioſisſimos, ex ære præcipuè Corinthiaco furto ablatos conqueritur. In NICOLAO, Johannis Fratre, Ducatûs Præfecto, & Reipubl. Wratislavienſis Præſide, infinitis in Patriam meritis Illuſtri, *Politici hominis Ideam omnes boni cognoſcebant*, ut *Theod. Zwingerus* in Similitudinum Methodo de eo ſcribit; imò *Abrah. Bucholzerus*, mortem illius referens, *Virum genere, animo, ſapientiâ, authoritate, & virtute Nobilisſimum, Mecænatem Studioſorum, & imprimis Pauperum Patronum liberalisſimum* vocat;

& *Ni-*

& *Nicol. Henelius* Sepulchrum illius digno hoc Epitaphio condecoravit:

Incluta Roma ſuos ne jactet ſola Catones,
Nec ſuum Ariſtiden ſolæ mirentur Athenæ;
Qui jacet hic, Patriæ verus Pater; eſſe Catonem
Juxta & Ariſtidem quem Sleſias incluta vidit.

THOMAM, tertium Fratrem, *cui Ingenium contigerat DEI beneficio cupidiſſimum diſcendi, & artium omnium atque diſciplinarum capax, excitatum, acre, amans veritatis, & à Sophiſticâ alienum,* ut *Georgius Major* literis membranaceis publico Academiæ Wittebergenſis ſigillo corroboratis teſtatur, quique, Eodem teſte, in contubernio & diſciplinâ *Philippi Melanchthonis*, ejusdemque Generi, *Caſparis Peureri*, tantum profecerat, *ut virtute ſuâ & Ingenii excellentiâ atque eruditione Bonorum omnium voluntates ſibi facilè conciliare poſſet*; hic multis verborum ambagibus

bus laudare ſuperſedemus, quia ſubjuncta ad Lectorem præfatio, & ipſa illa, cujus memorabilia ſiſtimus, Bibliotheca, Ulyſsis hujus Sileſii, & Summi Bonarum Literarum Aſſertoris elogia fuſius exhibebunt.

Nec Adamus, quartus Fratrum Celeberrimorum, ſuâ laude defraudandus erit, qui Romæ, ubi diutius hæſit, inter alia Virtutum ſtudiorumq́ue exercitia, Nummorum antiquorum collectioni ſeſe tradidit, cujus ope & ſubſidio Magnus ille Antiquarius, *Hubertus Golzius* ſe ſuos in antiquitate Numismaticâ Labores ſuſcepiſſe gratus fatetur. Jacobus, Fratrum quoad annos, non merita, ultimus, precioſisſimæ æq́ue ac nitidisſimæ Bibliothecæ collector extitit, quæ poſt fata illius ad *Jesſinskiam* Familiam emtionis jure translata

eſt. Quamvis autem Gloria hæc REHDIGERIANA in JACOBO & ANDREA, *Nicolai*, Capitanei Ducatûs Wratislavienſis Filiis, felicisſimè renata ſit, quorum Ille poſt exactam in Literis Juventutem An. M. D. LXXIX. *Philippo Pernſteinio*, Cæſareo Legato in itinere Moſcovitico comes fuit, & laudabile illud peregrinandi deſiderium in CHRISTOPHORVM Filium propagavit, cujus amplas per Europam peregrinationes *Paulus Henznerus*, Itineris comes, publicis typis commiſit; omnium tamen hucusq; laudatorum Virtus in fratre horum natu majori, per quem Generoſisſimus REHDIGERORVM Sangvis in TE, ILLVSTIS DOMINE, derivatus eſt, conjuncta videbatur, in NICOLAO ſcil. *Nicolai* F. *Nicolai* N. in quem verius quadrabat, quod *Claudianus* de Stilicone ſuo gloriatur:

Quæ

- - - *Quæ diviſa beatos*
Efficiunt, collecta tenes.

Quantus ille fuerit, quantumque Gloriam Familiæ Illuſtris auxerit, non è noſtris, ſed eorum, qui præſentem venerati ſunt, elogiis, certiùs conſtabit. Non ſolus *Nicolaus Henelius*, JCtus de urbe noſtrâ, imò totâ Sileſiâ meritisſimus, qui celeberrimam illius memoriam ſcripto REHDIGEROMNEMATE æternitati conſecravit, Eum *Virtutis & Eruditionis omnivariæ Exemplar abſolutisſimum, & Literatorum omnium Amatorem Fautoremque Maximum* vocat, ſed & Magnus ille Trium Imperatorum Archiater & Conſiliarius, *Johannes Crato valdè miratus eſt, & unicè dilexit divinum Illius, & ingenium, & judicium, adde & Doctrinam ſummam cum moribus ſvavisſimis conjunctam, eumque Decus ac ornamentum Patriæ ſummum nominare ſoli-*

tus fuit, ut Germanorum Corn. Nepos, *Melchior Adami* in Cratonis Vitâ refert. Non parum jam citatus Scriptor honeſtos literatæ integritatis Amatores afficit, dum de ævo illo bonis Literis ferè aureo in Jacobi Monavii vitâ ſcribit: *Erat tum Wratislaviæ quaſi Collegium quoddam illuſtrium Ingeniorum, quando uno & eodem tempore* NICOLAI REHDIGERI, *Pater & Filius, Andreas Dudithius, Johannes Crato, Petrus & Jacobus Monavii, Fratres, Ribiſcius, Engelhartus, Martinus Schillingus, Johannes Hermannus, Petrus Vincentius, alii, urbem decorabant, Viri pietatis minimè fucatæ, & ſplendidisſimarum Virtutum vinculo inter ſe colligati. Abierunt omnes ad beata illa loca; unus ſupereſt*, NICOLAVS, *Nicolai F.* RHEDIGERVS, NOBILITATIS SILESIACÆ PRÆLVSTRE SIDVS. Non mirum ita-

itaque eſt, quod communem hunc, & Munificentiſſimum Literatorum Patronum, cujus *ſingularem & penè inauditam morum comitatem & humanitatem Henelius* laudat, & *Candidatos ingenuarum Artium ad Eum, quaſi ad novum & beneficum ſidus acceſſiſſe* dicit, tot Eruditorum calami in cælum laudibus extulerint; quod inter alios *Theodorus Zwingerus* facit, *Huic*, ut loquitur *Paterni Nominis & Virtutis Illuſtratori Lycoſthenis* ſimilia æque ac XII Volumen ampliſſimi ſui Theatri Vitæ humanæ dedicans. Non mirum, quod in Hujus, cujus ipſius Carmina copioſius & elegantius conſcripta perpetuitatem merentur, Laudes Poëtæ celebriores paſſim effundantur. Non à vero abludit *Valens Acidalius*, dum de noſtro canit:

Et Tu magnificos Titulos Natalibus æquans,
Natales vincens, REHDIGER ingenio.

Et Proſopographus Wratislavienſis, *Caſpar Conradus*, ſic de Eo loquitur:

REHDIGER Euſebiâ natus ſe dedidit Hæmo;
Hoc Decus ô quantum ſidere Phœbus habet!

Nicolao Henelio Epigrammata ſua Illi dedicanti

Veræ Sophiæ Medulla vera eſt,
Phœbi Delicium, Minervæ Amores.

Idemque *Henelius*, limpidisſimum fontem *Striſanum* lepido carmine celebrans, de Fontis Hero ait:

Qui velut inſignit multo Te nomine, notus
Quippe ultra Arctoas Memnonidumq; plagas.

Taceo alia à *Paulo Meliſſo*, multisque aliis in Ejusdem honorem decantata; nec ulteriori REHDIGERORUM aliorum, (quorum Elogia non minus magnifica, calami mei vilitate minimè ſatis celebrari poſſunt) recenſione, tuâ, ILLUSTRIS PATRONE, patientia ulterius abuti ſuſtineo.

Spe-

Specimen hoc eſto, exiguum licet, rerum maximarum, quæ me in Rhedigerianæ Gloriæ admirationem, gratamque & ſubmiſſam Venerationem traxerunt, & quæ me indies ad ulteriora ex Herovm ſupra laudatorum ſcriptis, inter Cimelia noſtra reſiduis, eruenda jucundo ſtimulo ſollicitant. Permitte quæſo, ut mihi, qui hucusque Decorvm Familiæ Tuæ Generoſisſimæ, jamdudum Orbi ereptorum memoriam religioſo ſilentio colui, jam quoque Te Celeberrimæ & infinitis in Literas meritis inclytæ Gentis Caput, præſentem venerari, exiguumque hoc opuſculum, quod non niſi ab Illuſtribus Tuorum meritis ſplendorem obtinet, humili mente manuque offerre liceat. Non ego ſolus,

lus, ſed mecum omnes Boni, hique præcipuè, quibus Literæ curæ cordique ſunt, quique eo nomine REHDIGERIANUM nomen ſumma veneratione & amore fideli proſeqvuntur, quotidiana Familiæ tanta Præconia merenti incrementa apprecantur, & in votis habent, ut Orbis Literatus, ſuperato jam diu Mecænatum nomine, nunquam deſtituatur ſuis REHDIGERIS. Tu verò, Illuſtre totius Patriæ æque ac Familiæ Celeberrimæ Decus, vive, vigeque in Bonarum Literarum, omniumque Bonorum ſolatium, mihique PERILLUSTRIS NOMINIS TUI perpetuo & obſequioſiſſimo Cultori favere perge. Scribebam Wratislaviæ XIV Calendarum Auguſti A. O. R. M. DC. XCIX.

Lector

Lectori Benevolo S.

NE præſens opuſculum, quod Eruditorum ſcriptis immiſcere audemus, ut indignum tanto ſodalitio, rejicias, noſtrum fuit, illud præfamine quodam & excuſatione munitum oculis tuis ſubjicere, illiusque ſive elaborandi, ſive publicandi rationem indicare. Decennium præterlapſum erat, ex quo *MAGNIFICI SENATUS WRATISLAVIENSIS* Autoritate, cura Bibliothecæ publicæ Eliſabetanæ nobis injuncta fuerat, cum illius ſtatum aliquando in ſcenam producere, & juventutem literariam in aliqualem Bibliothecariæ rei cognitionem introducere, apud animum noſtrum, Superiorum Autoritate ſuffultum decerneremus. Aucta quippe medio tempore cimelia Gazophylacii hujus, duplicata librorum, aliarumque rerum copia, & nova ſpacii amplificatio ſtimulum nobis addebant, vel hoc modo Spartam noſtram ornandi, & ea, quæ publicis uſibus, omniumque oculis deſtinata erant, publicè Eruditorum auribus aliquando proponendi. Nulla tum temporis cogitatio animum noſtrum ſubierat, ea quæ inter concatenatos labores, & continua diverſiſſimorum negotiorum impedimenta, tumultuariâ ferè operâ in chartam conjiciebantur, aliquando publicis typis committendi; hinc omnia ea quæ hic vides, non ad rerum numerum aut dignitatem, ſed ad menſuram Acroamatis, Actuumque noſtrorum morem directa ſunt. Ex eâdem ratione interſcenia poëtica adjunximus, ad ipſius Bibliothecæ cognitionem certè parum facientia, ſed ad Dramatis, Auditorum tædia evitaturi modum quadantenus ſpectantia; in quibus an-

trum illud, Seculorum receptaculum, ex parte etiam Seculorum cultum Claudiano deberi, ingenuè fatemur. Ne verò illuſtre nomen, quod titulo præfixum eſt, Lectorem rerum noſtrarum ignarum ſuſpenſum teneat, paucis oſtendere placet, cujus munificentiâ Bibliotheca noſtra fundata ſit, quo vel gratam Beneficiorum æſtimationem verbis exprimamus, vel Horatiano monito ſatisfacere quæramus, quo interprete dignum Laude Virum Muſa vetat mori. Fundamentum ſcilicet Cimeliarchio huic jecit ſummum Sileſiæ, totiusque Eruditæ Nobilitatis Decus, Thomas a Rehdiger & Sliſâ, Eximium ſuperioris Seculi ornamentum, non per Patriam modò, ſed omnes Literati Orbis partes illuſtres famæ ſuæ radios diſpergens. Ingrati certè eſſemus, & nulla mentem noſtram Virtutis honeſtatisque æſtimatio tangeret, ſi Magni hujus Viri memoriam aliquali culpâ noſtrâ obliterari pateremur, cum jam poſt Seculi decurſum remotior ætas, livore diu obſoleſcente, Virtutem ſuis laudibus ornare facile concedat. Non antiqvum Gentis Rehdigerianæ Decus, non alia Familiæ hujus, cujus infinita in Patriam merita alium ſibi Præconem poſcunt, Sidera velut inter ignes Luna minores, micantia, non Thomæ noſtri nativitatis, Juventutisque Hiſtoriam referre animus nobis eſt; hoc paucis indicandum, famam Virtutis in eodem eximiæ, occulto velut Arbor ævo, creviſſe, ex quo Noſter Anno ſuperioris Seculi LXI Lutetiam delatus, & Caroli Cluſii, optimi & ſolidæ Eruditionis Viri, fidei commiſſus, tàm vaſtisſimum Eruditionis penu, quàm omnium, quos Orbis habebat, Eruditorum amorem ſibi paravit. Quæ abhinc ille continuatis per XV. annorum ſpacium itineribus per Galliam, Belgium, Angliam, Germaniam, Helvetiam & Italiam egerit, quodque neglecto omni vanitatum & ineptiarum ſtudio, quo peregrinantium plurimi transverſum rapiuntur, unicè colligendis Doctrinarum Gazis, juvandæ rei literariæ, & parando Doctiorum amori

amori incubuerit, prolixius eſſet, quàm ut hic dignis elogiis ornari queat. Summa & admiratio & delectatio animum ſubit ſi copioſas Epiſtolas, manu hujus exaratas inſpicimus, quæ ubique profundam Eruditionem, ſummam in literarum emolumenta propenſionem, honeſtisſimum erga Amicos animum, &, quod omnium laudum caput eſt, genuinam in DEUM pietatem ſpirant. Ea cognoſcentibus nobis non mirum videtur, quod tantâ contentione omnes ferè Eruditi amorem illius ambierint, eumque Aſſertorem literatæ felicitatis, ſui temporis Mecænatem, & communem Literatorum Patronum dixerint. Totus quippe in eo erat Rehdigerus, ut in Manuſcriptis latentes Eruditionis Gazas erueret, Bibliothecam rarioribus Cimeliis inſtructisſimam (etiam XVII aureorum millibus impenſis) colligeret, eam & Doctorum, & Typographorum eruditione clarorum uſibus aperiret, hos conſilio, ſumtu, ſtipendiisque juraret, omnesque & animi, & corporis vires ſui quaſi oblitus, publicæ utilitati conſecraret. Eandem quippe laudem, quam Pannonia quondam Johanni Sambuco, Italia Johanni Vincentio Pinello, Gallia Nicolao Claudio Fabricio Peireſcio, tempora noſtra Marquardo Gudio aliisque detulerunt, totus certè orbis Eruditus THOMÆ noſtro debebat, non minori ſumtu conatuque Literas juvanti. Clarum hoc redditur ex copioſis, quibus Eruditi ſuperioris Seculi eum extulerunt, elogiis, & ex tot carminibus in illius honorem ab optimis quibusvis Poëtarum cuſis, quæ omnia ſi adducere vellemus, limites præfaminis certè egrederemur. Juſtus Lipſius, (ut quædam citemus,) huic Viro, bono Literarum nato, ut ipſe ad Victorem Giſelinum de Noſtro ſcribit, ſuum Antiquarum Lectionum Commentarium dedicaverat, & de remuneratione paulò poſt ad Gerhardum Falkenburgium ſcribebat: Munus REHDIGERI planè regium eſſe. Heinricus Stephanus officinam ſuam à THOMA REHDIGERO non minus, quam

Patris ſui Roberti, à Franciſco I. Rege adjutam fatetur. Jacobus Cujacius, JCtorum ſui temporis Princeps, ſuos de Feudis Libros THOMÆ in clientelam, veluti quodam feudi jure, (ut ſcribit,) conferens, Hugo Suræus Martini Bellaji Res Gallicas latinitate donatas Noſtro prolixiori præfatione dedicans, Paulus Meliſſus Miſcellanea ſua, & Felicis Fidleri Flumina huic inſcribens, Theodorus Pulmannus Auſonium, Antonius Contius Stromata ſua in Inſtitutiones Juſtinianeas, Carolus Cluſius Epiſtolas Nicolai Clenardi, Daniel Rogerius Hiberniam carmine Elegiaco deſcriptam, REHDIGERO dedicantes, magnificis ubique laudibus eum extollunt; quod & Nathan Chytræus epigrammate non inelleganti, & Joh. Leonclajus inter acerbas de morte THOMÆ querelas, in Epiſtolâ ad Joh. Sambucum, Zoſimi & Procopii editioni Baſilienſi præmiſsâ præſtiterunt. Sed acerba fata ante diem Orbi Literato gaudium hoc eripuerunt, cum THOMAS noſter ad Heidelbergam circa Anni M. D. LXXII. finem, rhedâ projectâ luxatione cubiti læſus, & infelici curatione afflictus, ægrum exinde corpus curaturus Coloniæ ad Annum usque LXXVItum moraretur, ibidemque Nonis Januariis inter Gerhardi Falkenburgii, aliorumque Amicorum amplexûs, vix XXXVtum ætatis annum ſupergreſſus, piam animam DEO redderet, infinita adhuc orbi commoda, niſi Divinæ Providentiæ aliter placuiſſet, collaturus. Hujus itaque incomparabilis Viri erudita ſupellex, Libris tàm Manuſcriptis, quàm impresſis, nummis copioſioribus, iconibus jucundis, aliisque Cimeliis conſiſtens, juxta Teſtamenti tabulas univerſæ Nobiliſſ. Familiæ relicta, non ſine detrimento quidem Wratislaviam translata, conclavique, quo adhuc ſervatur, impoſita eſt, tandemque totius Illuſtris Familiæ conſenſu Reipublicæ Wratislavienſi propria cesſit. Docet hoc fuſius Tabula ænea, Bibliothecæ ipſius aditum ornans, & imaginem Celeberrimi Fundatoris oſtendens, cujus tenor ille eſt:

BIBLIO-

BIBLIOTHECA
QVAM CERNIS LECTOR,
ERVDITA INDVSTRIA
NOBILISSIMI
THOMÆ A REHDIGER ET SLISA,
CVJVS ELOGIA
ANGVSTVM HOC ÆS NON CAPIT,
FELICITER CREVIT,
ET A. C. clↄ Iↄ LXXVI,
VIGORE TABVLARVM TESTAMENTI
VT PROPENSI ANIMI ERGA LITERATVM ORBEM
CHARACTER EXISTAT
AD PVBLICOS VSVS DESTINATA,
TANDEM VNANIMI CONSENSV
CLARISSIMÆ REHDIGERORVM FAMILIÆ
REIPVBLICÆ
HOC PACTO PROPRIA CESSIT,
VT QVOCVNQVE MODO AVCTA REHDIGERIANA
SEMPER AVDIAT,
IN COMMODO AC SECVRO LOCO ASSERVETVR,
ET SVB CVRA FIDI BIBLIOTHECARII
INDIGENÆ ET ADVENÆ PATEAT.
QVEM ADFECTVM NOBILISSIMÆ GENTIS
GRATO SECVM VOLVTANS PECTORE
VRATISLAVIA
HOC MONVMENTVM FIERI CVRAVIT.
VIGEAT MEMORIA REHDIGERIANA,
ET TIBI LECTOR
EGREGIVM HOC EXEMPLVM
AD SIMILIA MVNIFICÆ CHARITATIS OFFICIA
SIT INCITAMENTO.
ANN. CHR.
clↄ. Iↄc. LX.

Pleniores rei circumſtantias Intimatio Aperturæ, à *MAGNIFICO SENATU*, VI. Nonarum Octobris Anno M. DC. LXI. publicata, Johannis Gebhardi, primi Bibliothecarii, Encænia ſive auſpicalis Oratio, & Johannis Danielis Majoris Deſiderium de Nummis Rehdigerianis publico bono contribuendis, ante XIX Annos publicatum, exhibent, & curioſorum deſiderio abundè ſatisfaciunt. Crevit abhinc Bibliotheca Chryſoſtomi Schultzii, Scabinographi Wratislavienſis, Matthiæ Machneri, Reipublicæ Wratislav. ab expeditionibus latinis, aliorumque non contemnendâ liberalitate; donec Anno M. DC. LXXXIX. novo integræ Bibliothecæ corpore, rerum Theologicarum, Juridicarum, Medicarum, Philoſophicarum, præcipuè autem Hiſtoricarum & Methematicarum inſigni copiâ referto, Cimeliis inſuper aliis codicum Manuſcriptorum, conchyliorum, figurarum in æs inciſarum, rerumque aliarum accedentibus, duplo auctior redderetur. Benefactoris Generoſisſimi inclytum Nomen, & inſignia in Patriam æque ac Rem literariam merita referre, modeſtia & obſequium vetant, donec ſucceſſu temporis grata Poſteritas Beneficia hæc, vix ſine ingratitudinis notâ tacenda, præconio digniore ab oblivione vindicabit. Eadem ratio nos ad tacendas Evergetarum aliorum laudes impellit, quorum eximia liberalitas Bibliothecam noſtram ſive rerum naturalium Cimeliis, ſive artificialium agalmatis exornavit, ſive etiam illi annuis ſumtibus ad augendum rei librariæ theſaurum proſpexit. Harum rerum, in ſcriniis noſtris contentarum, nec tamen omnium, imò vix præcipuarum nomina ſequentibus pagellis exhibuimus, quas luci publicæ nunquam expoſuiſſemus, niſi aliis, quorum Autoritati & Conſilio obſequium debemus, placuiſſet, poſt publicatam antea Chriſtophori Coleri Orationem auſpicalem in Bibliothecâ Mario-Magdalenæâ habitam, poſt editum antea Valentini Kleinwächteri Ludum Septem Sapientum, in

in Actu publico dedicationis Bibliothecæ citatæ exhibitum, & poſt impreſſa Johannis Gebhardi Encænia Bibliothecæ Rehdigerianæ, etiam hunc Scenicum laborem in publicis typis videre, ne poſt tantam Anteceſſorum diligentiam, noſtra tempora ignaviæ forſan accuſanda quibusdam videantur. Cum verò animus nobis non fuerit, ſive Catalogum ſiſtere totius rei noſtræ librariæ, ſive omnia reliqua curioſiora dignâ recenſione percurrere; hinc, quantum per breve tempus his Acroamatibus noſtris deſtinatum, & per Auditorum patientiam licuit, præcipua tantum ad quatuor claſſes redacta, levi, ut dicitur, manu tetigimus, quorum ordinem adhuc præfationi huic ſubnectere placet, quo confuſionis tædium adimamus Benevolo Lectori, cujus Favori nos laboresque noſtros ſubmiſſè commendamus, & ut Colloquiorum ſequentium in Studioſæ Juventutis uſum unicè factorum defectûs æquo animo tolerare velit, enixè rogamus.

Producuntur

1. CVRIOSVS, explorans præcipua Bibliothecæ, ſcilicet

   1. Picturæ, Sculpturæ, & Plaſtices opera, colloquentibus HISTORICO, PICTORE, SCVLPTORE & PLASTE.

   2. Rerum Naturalium, Subterranearum & Marinarum Cimelia, reſpondentibus, PHYSICO, MATHEMATICO, METALLIFOSSORE, & NAVTA.

   3. Numismata antiqua, quæ exponunt HISTORICVS, ANTIQVARIVS, GEOGRAPHVS, & ETHICVS.

4. Li-

4. Libros, præcipuè Manu-Scriptos, eosdem referentibus TYPOGRAPHO, BIBLIOPEGO, THEOLOGO, POLITICO, MEDICO, HISTORICO, & PHILOLOGO.

2. Prologi & Interſceniorum vice

1. ERVDITIO, cui merita ſua proponit TEMPVS, ſpecialia teſtimonia ſuggerentibus XVII poſt CHRISTVM natum SECVLIS.

2. PICTVRA, SCVLPTVRA & PLASTICE, de prærogativâ artium ſuarum certantes.

3. FAVNVS & TRITON, ſubterranearum & marinarum rerum curioſa brevi certamine conferentes.

4. AVARITIA, ANTIQVITATEM ob Nummorum collectionem exagitans.

5. ARS SCRIPTORIA, cui feſſæ opem fert TYPOGRAPHIA.

PROE-

A & Ω!

Proemium.

Eruditio, Tempus.

XVII. Secula.

Eruditio PRogredior viſura, meum num Terra favore
Excipiens hilari vultum, cognoſcat amorem
Conatûſque meos, queîs omnia cultior orbis
Ornamenta refert. Etenim, mortalibus ex quo
Tellus cœpta coli, noſtro decorata labore
Pulchrior, & ſtudiis ad quosvis aptior uſus
Reddita, progreſſu felicia Secula vidit.
Me duce frugiferam proſcindere novit aratro
Tellurem mortale Genus; circumdare gratis
Membra togis, rigidumque gelu propellere amictu
Indice me didicit. Ramos conferre decenter,
Riteque congeſtis trabibus ſibi condere tecta
Me monſtrante poteſt. Mannos compeſcere frœno
Indomitos docui; robuſta imponere dextrâ
Mobilibus carpenta rotis, & longa viarum
Tædia jucundo docui ſuperare meatu.
Quin etiam ſocias compeſcere lege cohortes,
Et domibus dare jura meum eſt; Reſpublica læto
Progreſſu fruitur me conſervante; ſalutem
Acceptam mihi Terra refert, ſub Numinis umbrâ;

Diſtribui reprobis pœnas, ſua præmia dignis.
Sic nec corporeos ſine me natura fatiſcens
Langvores ſuperare valet; Latitare medelam
In vaſto terræ gremio, ſpecubusque profundis
In plantis, florumque ſinu, fruticumque tenellis
Termitibus, noſtræ docuit ſolertia turbæ.
Monſtravit natura viam, ſed cultior artis
Præſidio natura nitet; noſtroque labori
Commoda debentur Terræ, Terræque venuſtas.
Nunc Tellus exculta meo ſplendore ſuperbit,
Et pasſim, Natura, tuis gaviſa, meisque
Divitiis, Gazas jucundo colligit auſu.
Creſcit in immenſum doctarum copia rerum,
Artis & amplexum ſpacioſum quælibet augent
Secula, conatûsque novis conatibus ornant.
Quid teneat mea docta cohors, quid pandere posſit,
Hoc pasſim Muſea probant, queîs intulit omnem
Sive tuam, Natura, penum, ſeu quoslibet artis
Conatus, audax humanæ induſtria mentis.
Grandis eos agitat mentem ſpectare libido
Theſauros, ſtimulisque animum recreantibus urget,
Ut præſens iſto fallam meditamine tempus.
Aſt, quod triſte ſenis ſimulachrum Lumina lædit?
Tempus. Gnata, tui renuis vultum cognoſcere patris?
Erudit. Gnata vocor? Decepte ſenex, te lumina fallunt.
Filia celſa vocor Cœli. Me grandior ætas
Ante tuos longè natales tradidit orbi.
Non canis equidem candent mea tempora; mundo
Ipſa coæva tamen nullum cognoſco Parentem.
Tempus. Ipſa ſagax doctrina mihi jam cernitur expers
Senſûs. Nonne vides me canum ſiſtere tempus?
Remigium alarum, queîs provehor absque quiete,
Aſpera falx, quæ cuncta metit, currensque fluore
Con-

Continuo, ac horas quæ dimetitur, arena,
Ignotum non eſſe ſinunt. Te pluribus annis
Majorem reputans, falſo conamine ludis.
Te ſi non genui, quod faſtu plena fateri
Detrectas, tamen his naſcentem protinus ulnis
Excepi, teneramque tuli, fovique recentem.
Plurima dona tuo queîs fortunata ſuperbis
Injeci gremio; mihi munera plurima debes.
Simplicior fueras, ſed te mea Secula gnavo
Formârunt ſtudio; monitis, uſuque labantem
Erudiêre ſuo, meliorem reddere prompta.
Plura referre queo, ſed feſſum tramite corpus
Affectat requiem, grandævaque membra labores
Jam fere detrectant duros, operasque viarum.
Erudit. Temporis ulla quies vix eſt ſperanda; tuamque
Excipiet rerum confuſio certa quietem.
Tempus. Interdum tranquilla quies annosque, diesque
Afficere, atque fugam celerem retinere videtur.
Interea tamen ipſa dies fugit, atque nec ullo
Obſervante, cito labuntur Secula curſu.
Ipſe ſedens videor tibi; ſed te lumina fallunt;
Dum ſediſſe putas, horam properaſſe videbis.
Erudit. Sed refer hæc, quæ tanta tuo debere favori
Me prius ajebas. *Tempus.* Audi compendia: debes
Cuncta mihi, quæ noſſe vales. Mea Secula namque
Omnia quæ ſervas tribuere; decusque venuſtum
Quo formoſa nites, tibi tradidit hora diesque.
Erudit. Multa refers, ſed pauca probas. Sine teſte ſuperbis.
Tempus. Si grave non fuerit, teſtes mea Secula longo
Ordine producam, quæ munera quælibet ore
Veraci referent, queîs te ornavêre ſuperbam.
Erudit. Dicas, unde mihi dubiæ tua ſiſtere Secla
Præterlapſa diu, nunquam reditura, valebis?

Tempus. Eſt ignota tibi, vanæque impervia menti,
Vix adeunda mihi, mortalibus abdita cunctis
Immenſi ſpelunca ævi, quæ Secula vaſto
Suppeditat revocatque ſinu. Complectitur antrum
Omnia qui rapido conſumit gutture ſerpens,
Perpetuumque viret ſquamis, caudamque reducto
Ore vorat, tacito relegens exordia lapſu.
Hic habitant vario facies diſtincta metallo
Secula certa locis; hic fulgent aurea vultu,
Hic ferrata rigent, illic argentea candent.
Hæc revocare placet, certosque huc ſiſtere teſtes.
Nec tamen antiqui producam quælibet ævi
Tempora; ſufficient reparatæ Secla ſalutis.
Heus! veteris ſimulachra ævi! mortalibus auſu
Hactenus ignoto procedite! Secula juſto
Ordine priſca meis veſtro teſtamine certo
Ferte fidem verbis, & munera veſtra referte,
Atque inventa, quibus decorata ſcientia fulget.

Seculum I.

ME ſiſto cunctis aureo Mortalibus
Vultu videndum. Tempus aureum mihi,
Et univerſæ terrei cætûs dedit
Ortum ſaluti. Svavis Eruditio,
Ut ipſa noſti, tempus aureum tibi
Solers paravi. Non modo faſces tulit
Auguſtus ille præpotentes, ſed ſimul
Scientiarum fervidè juvit Decus.
Hinc tot, quot unquam ſedulos exercui
Calamos, nitorem ſplendidum reddens tuum.
Hæc dextra quærit nobiles Annalium
Libros parare; ſcribit illa ſontium
Defenſiones; illa miſcet pharmaca.

Gran-

Grandes cothurnos, atque ſoccos ludicros,
Satyras procaces, & Lyræ modulamina,
Heroicique carminis celſum decus,
Elegosque triſtes, cuncta Pindi munera,
Quo pulchriorem redderem vultum tuum,
Prodire feci. Circinum atque Regulam
Matheſis alma ſedulis laboribus
Admovit; ingens Architectorum labor,
Ornavit orbem; doctæ Sculptorum manus,
Plaſtæ periti, ſicque marmorarii
Polire prompti, magnus artificum chorus,
Auxêre gnavi ſplendidum decus tuum.
Luſtra eruditas, quas habes Librarias,
Forulos pererra, quos ſuppellex codicum
Inſignis implet; cuncta certe munere
Meo videbis plena, cuncta cultibus,
Primum Eruditis quos paravit Seculum.

Seculum II.

Vix ſunt minora, dulcis Eruditio,
Quæ perpetravi commodis vacans tuis.
Doctrina crevit, Imperatores meos
Mixtos Sophorum dum notavi cætibus.
Hinc, ecce, vultum ſplendor aureus meum
Illuſtrat; auro clarior Scientia
Per me recepit publico ſtipendia
Sumtu, atque late ſparſit aureum jubar.
Cœli meatus, Syderumque vortices
Ptolomæus auſu te docebat arduo.
Per *Ulpianos* jura fulſerunt tua,
Medicina doctis creverat felicior
Suis *Galenis*, & Sophiſtarum cohors
Contendit orbem doctiorem reddere,

Nec ceſſat à labore Sculptorum manus;
Simulacra ſurgunt, & columnæ ſplendidæ,
Queîs Roma ſervat imperantium decus.
Pervolve Libros, qui tuis doctis placent,
Si vis amoris certior reddi mei;
Mea namque paſſim deprehendes munera.

Seculum III.

IGnoſce triſti, ſvavis Eruditio,
Quod pauca poſſim commodis adjungere
Scientiarum; Cerne vultum ſangvine
Fuſo rubentem; nam Tyrannorum furor,
Et barbarorum diruens ferocia
Fœdavit, atque perdidit Decus meum.
Sedem parare commodam volui Tibi,
Et Civitatem, quæ *Platonis* nomine
Signata cives eruditos conderet;
Sed fata noſtri triſtiora temporis
Statim valebant impedire ſpem meam.
Non prorſus omnes attamen putes tibi
Abiiſſe cultûs. Curat ornatum tuum
Plotinus acer, Os Platonis alterum,
Auguſta firmo quem favore protegit.
Nec Jura ceſſant. *Ulpianus* proſpera
Felicitate Legibus parat ſuis
Autoritatem; docta nam Collegia
Nunc cauta ſcribunt jura, Pandectis tuis
Olim inſeranda. Nec deeſſe, codices
Tuos revolvens, conſpicis volumina
Meis parata ſedulis Scriptoribus,
Auguſta qui notare facta ſuſtinent.

Secu-

Seculum IV.

NOn ora ſimplex cultibus metallicis
Fucata geſto. Chriſtiani pectoris
Integritatem candidis monſtro genis.
Majora nulli Seculo debes, pia
Scientiarum Mater; hactenus tua
Gens erudita plurima Idolis erat
Et Ethnicorum vanitati dedita;
Nunc Chriſtianis ſancta Libertas redit.
Nomenque CHRISTI, nunc Sophorum pulpita
Reſonant ubique; totaque Eruditio
Prius profana, vana, vecors, improba,
Nunc ſanctiores ipſa mores induit.
Paucos profanæ mentis error abripit,
Magicis furentes artibus *Jamblichicis*.
Equidem minora præſtat artificum manus,
Cogor fateri; in artibus ſculptoriis
Pictoriisque cedo jam prioribus.
Sed Architectos ſedulis exercui,
Struendo Templa Numini, laboribus,
Urbes novasque Chriſtianorum gregi.
Disjecta ſurgunt Civitatum rudera,
Sedes Piorum redditur Byzantium.
Nec nulla prorſus Eruditorum tibi
Opera excitavi; geſta rerum qui notant,
Et *Ammianos* atque *Victores* dedi.
Per *Claudianos* vena quid Poëſeos
Præſtare posſit reddidi notum ſatis,
Sic multa doctis contuli ſcientiis.

Seculum V.

TErrore plenum, perditum furoribus
Procedo, triſte Barbarorum Seculum,

Quod

Quod ſæva Fati perdidit malignitas,
Ex me quid apti quæris Eruditio?
Nihil reliquit Barbarorum immanitas.
Vires Gothorum, Vandalorum Turbines,
Et Hunnicorum triſte robur agminum,
Heruli potentes, atque Francorum furor,
Poſſeſſionum diſſiparunt omnium
Opes mearum. Sparſa ſunt volumina,
Laceratus omnis apparatus codicum,
Scholæque doctis antea Sermonibus
Crebro ſonantes, nunc tremenda rudera
Monſtrant, & ædes ſunt ferarum tetricæ.
Ne prorſus omni deſtitutum munere
Relinquar, oſtendit ſuos Eccleſia
Tamen *Cyrillos*, erudita pectora.
Reparavit artes quaslibet *Boëthius*,
Invenit *Hero* Machinarum Gloriam,
Speculisque *Proclus* lædit hoſtem cauſticis.
Contenta paucis hiſce ſis Scientia.

Seculum VI.

ME glorioſis prodiens inſignibus,
Et reſtitutæ Seculum potentiæ
Scias tuum juvaſſe multis commodum.
Juſtiniani ſumma virtus reddidit
Autoritatem Legis ac Enſis ſimul.
Sternuntur hoſtes; Vandalorum gloria
Gothicæque Vires exitum triſtem vident.
Scholis repletur orbis erectus novis;
Leges feruntur; magna Te volumina
Illuſtriorem reddidere; Legibus
Capit juventus dedicata gloriam,

Quin & laborat Architectorum manus,
Illuſtrat artem Splendidis Palatiis;
Sophiæ ſtupendæ molis ædes conditur,
Salomonis Ædi magnitudine æmula.
Nec ſcripta deſunt; *Priſcianis* addidi
Evagriisq́; Gloriæ Decus tuæ.
Maligna reſtant; nam Scholis ſtipendia
Tandem negavit aulicorum debita
Avarus ardor. Sed quid afflictæ juvat
Infauſta mentis explicare vulnera?

Seculum VII.

ME forſan haud agnoſcis Eruditio,
Nam pauca tecum contuli commercia,
Nam me cruentum Sarracenorum furor
Crudelibusque mentis atræ motibus
Fecit repletum. Clara jam Victoriis
Mea arma ſplendent; hoſtium protervia
Mox per cruorem me volutavit meum.
In propria inde Sæviendo viſcera
Siniſtra fata propriis auxi malis.
Ne prorſus autem muneris nihil feram,
En Græcus ignis, *Callinicus* quo meus
Mediis in undis excitare incendia
Horrenda novit. Ecce furnum, quo mei
Aurum parare Chymicum laboribus
Nituntur amplis Chryſopoei. Noveris
Stephanos celebres, *Zoſimos*, *Anepigraphos*,
Et *Archelaos* plurimosque cæteros.

Seculum IIX.

VIx chara quicquam portat Eruditio
Egena dextra. Crevit horridus furor

Arabum potentum. Chriſtianorum greges
Captivitate deprimuntur anxiâ.
Vix pauciores cogitare de tuis
Potuere libris, inter horrendas neces.
Vel *Beda* ſolus eruditi ſuſtinet
Onus laboris; ille vaſto Spiritu
Scientiarum pernatat totum mare.
Aſt, demigranti Carolus ſolatia
Quædam parabat, *Alcuini* provido
Svaſu reſurgunt pulchriores literæ,
Pariſienſis dum Scholæ incunabula
Ponuntur, atque nobilis ſcientia
Recepta clauſtris exulare deſinit.
Contenta paucis his meis ſis dotibus.

Seculum IX.

ME pulchriora prædicant initia,
Toloſa docta, docta Corbejæ cohors
Ornare noſtrum ritè nituntur decus.
Funeſta ſed mox bella Te ſcientiam
Ex Occidentis ſedibus pulſam fugant;
Orientis autem Te benigna ſuſcipit,
Et Barbarorum Te tuetur gratia.
Læta hic quieſcis, quodque vix ſperaveras,
Arabum potentum Mentibus te ſuggeris.
Aſcendit altum cura cœlum provida,
Mutationes Syderum quasvis videt,
Inhiatque cunctis partibus Mathematum.
Mox excitata Barbarorum Græcia
Studiis, *Leonem* docta quævis promere,
Luſtrare doctum cuncta *Photium* jubet.
Hæc pauca noſtrum ſuggerit penu tibi.

Secu-

Seculum X.

NOn abſque cauſa Seculum obſcurum vocor,
Scientiarum deſtitutum lumine.
Ni docta *Conſtantinus* & *Leo* Pater
Quædam dediſſent, orbis haut me crederet
Fuiſſe quondam. Verùm eorum munere
Adhuc quibusdam noris Excerptis frui.
In Occidente vix *Luitbrandus* mihi,
Rhegino clarus, atque pauci relliqui
Quicquam decoris comparare ſuſtinent,
Infantis inde Schema parvuli gero.

Seculum XI.

VIx digniora, ſvavis Eruditio,
Tibi paravi; namque vexarunt meas
Turbæ perennes Nationes. Inclyta
Mihi defuere ſcripta; *Lambertos* modo
Et *Xiphilinos*, vixque plures nomino.
Aſt grata ſurgit recreans modulamine,
Gvidonis arte pervenuſtâ, Muſica.
Medicina laudat *Avicennæ* gloriam.
Referre plura præter illa vix ſcio.

Seculum XII.

PRoduco plura; nam tuo conamini
Favens benigna cura Principum, Scholas
Condit recentes. Reſtituta prodeunt
Antiqua Jura; nam tuis *Irneriis*
Et *Gratianis* Jus utrumque panditur.
Arabes nec ipſi deſinunt ſcientias
Sinu fovere; Sic, *Averrhoës* tuam
Augere quærit atque plures gloriam.

Sententiarum qui Magiſter dicitur.
Lombardus ille, dicta Patrum colligit.
Comeſtor omne, quod ſciendum, devorat.
His acquieſce, plura ferre vix queo.

Seculum XIII.

VUltu tremendum, tetricum cruoribus
Non ſperne Seclum, Svavis Eruditio.
Me Tartarorum territans Orbem furor,
Sævi Tumultus, quos Gibellini cient
Gvelphique atroces, Veſperæ Trinacriæ,
Rabidisque pasſim fuſus Enſibus cruor,
Coinquinarunt. Non tamen vacuum putes
Scientiarum queîslibet ſplendoribus.
Doctrina *Thomæ*, magnus *Alberti* decor,
Subtilitatis parta *Scoto* gloria,
Et *Friderici* cura magni Principis,
Arabum labores qui Latinis vocibus
Transferre mandat, atque plura denique
Doctos honores ampliaverunt tuos.

Seculum XIV.

TErrere poſſum, recreare vix queo,
Atrociori Seculum fato datum.
Novos fragores, horrida & tonitrua,
Ignesque ſævos excitare, funera
Docuique plura Tartaro committere.
Te cura tantæ tangit Eruditio
Rei, latentes quippe cauſas eruis,
Modosque rebus aptiores applicas.
Sed ſvaviora dona porto. Pixidem
Mea cura monſtrat naviganti nauticam;
Magnetis uſum, prædicanda non ſatis

Qui dona confert cœtibus mortalium,
Tutamque monſtrat qui viam per æquora.
Sed addo plura. Profero tandem tibi
Diu ſepultas elegantes literas.
Petrarcha noſter, melleum nomen tibi,
Tenebris in ipſis ſidus aureum micat.
Non *Lulliorum*, non & *Arnoldi* decus
Referam; Meorum ſat dedit Solertia.

Seculum XV.

EXtolle vultum, Dulcis Eruditio,
Renovata porto Literarum gaudia.
Orientis oris pulſa nam Scientia
In Occidentem dirigit curſum ſuum,
Et Heſperi tui tenebras diſcutit.
Nunc migrat omnis hoſte pulſa Græcia,
OEnotriamque proſpicit ſedem ſibi.
Nunc excitati *Mantuani*, *Poggii*,
Vallæq; docti, & *Hermolai*, *Sylvii*,
Pici atque *Blondi*, *Platinæq;* ſeduli,
Artes adornant fervidô conamine.
Quin & relictæ à Literis Germaniæ
Suos *Rudolphos*, atque *Reuchlinos* dedi.
Illuſtriora ſed refert Germania;
Hæc eruditos educat Typographos,
Artemque nunquam monſtrat auditam prius.
Stupet recenti doctus Orbis munere,
Tantumque donum mente gratâ ſuſcipit.
Non orbis unquam vidit utilem magis
Artem, novandis editam ſcientiis.
Hoc eſt benignæ ſortis, Eruditio,
Munus, quod in Te contuli blandâ manu.

Seculum XVI.

MIhi reſtitutum ſplendidum debes jubar,
Scientiarum docta Mater; omnibus
Exercitatum literis me noveras.
Fides ſacrata, Numinis cultus pius,
Et ſingularum ſplendor ingens artium,
Mirabili eventu relucent. Undique
Plenus Poëtis, plenus Oratoribus
Orbis, priorem Barbari Secli notam
Emendat. Omnis gens ſibi condit Scholas,
Doctisque plena redditur Tellus Viris.
Nunc Jura florent, reſtituta Fortium
Per glorioſa Principum conamina.
Natura vires curioſis detegit
Suas latentes, inque plenam dirigit
Hominum ſalutem; ſedulos nihil latet.
Quot eruditos quæſo codices tibi
Solers paravit ſedulorum induſtria
Typographorum! Repleunt Librarias
Sat copioſa maximo volumina
Impreſſa ſumtu. Sculpit æs mirabili
Manus labore, ſicque pictorum decus
Statuasque fuſas arte vincit æmulâ.
Globis recenti monſtrat arte cælicas
Manus erudita Syderum vertigines;
Sinûsque Ponti, & Orbitam Provincias
Per univerſam, flexuoſa fluminum
Fluenta doctis indicat manus globis.
An plura poſſes poſcere Eruditio?

Seculum XVII.

SI plura poſcis, ſvavis Eruditio,
Me lætiori quæſo vultu reſpice.

Nunc

Nunc abſolutam prædicant ſcientiæ
Perfectionem; nam, quousque progredi
Conceſſum amore Numinis mortalibus,
Eousque jamjam pertigit ſcientia,
Et curioſa mentis indagatio.
Taceo, Librorum vix putandam copiam
Superare quamvis Seculorum Gloriam;
Taceo frequentes, Eruditorum choros,
Myſtas JEHOVÆ, Juriumque Antiſtites,
Medicosque doctos, atque Cultores bonos
Sophiæ ſagacis. Plura namque tradidi
Quam hic univerſus ordo temporis dedit.
Inventa vix ſunt Curioſorum Gregis
Numeranda verbis. Namque jam mortalium
Aſcendit audax tecta cœli induſtria,
Tubisque monſtrat aſtra, viſa non prius,
Radioque celſas ſiderum notat vias.
Examinare pondus aëris docet;
Menſurat auræ mobilis ſtringens gelu.
Simul & calores; humidasque perſpicit
Mutationes. Nunc & aërem extrahit,
Et nunc in arctum comprimit manu locum.
Quin ſolis ignes cuncta Naturæ facit
Penetrare ſæva aduſtione corpora;
In vitra mutat dura quæque & mollia.
Mox perſpicillis abditas minutias
Perluſtrat, atque cum ſtupore Luminum,
Non viſa, non audita quondam detegit.
Quid plura dicam? Seculum mirabile
Me jure dicent obſtupentes Poſteri,
Si qui futuri. Non dies jam ſufficit,
Sive audiendis, ſeu recenſendis bonis,
Quæ chara debes Eruditio mihi.

Ne poſce plura. Nominabis ultimum
Me ſeculorum, meque perfectisſimum.
Tempus. Sic poteris tandem mea dona agnoſcere, tantâ
Congerie conceſſa tibi. Solertibus omnem
Temporibus debere tuum te cernis honorem.
Erudit. Grata tuum, dilecte ſenex, agnoſco favorem;
Longa mihi, fateor, ſvavem tua ſecula fructum
Exhibuere ſuis conatibus. Incitat ardor,
Securis ſervata locis Cimelia, gnavæ
Artis opes, & quas facilis natura paravit,
Luſtrare, & docto mentem recreare labore.
Munera ſic potero Seclorum dulcia lætam
In Mentem revocare ſimul, grateſque referre.
Attamen haud ſubiiſſe queo mea gaudia, dulci
Quin prius ornatam referam modulamine ſortem.
Plurima, chare ſenex, mihi munera grata dediſti,
Nunc adjunge tuam modulis, quas adfero, vocem;
Utque oculos mentemque reples conatibus aptis,
Sic hominum mecum recrees concentibus aures.
Tempus. Poſcit iter properans abitum, lapſusque dierum.
Attamen haud tibi pauca nego, qui magna paravi,
Incipe, cantantem graviori voce juvabo;
Tum ſubito me fata jubent procedere greſſu.

I.

LAß dir/ kluge Welt/ gefallen/ was der Weiſen Schaar beginnt/
Die nur immer dir zu Liebe vor dein Heil und Glücke ſinnt;
Die mit Willen ihrer Ruh/ ihrer Freude wil vergeſſen/
Dir mit Sorgen/ Müh und Schweiß Nutz und Wohlfahrt zuzumeſſen.

2. Wür-

2.

Würde nicht dein gantzer Hauffen irren / und im Finſtern gehn /
Wenn dich nicht die Treu der Weiſen lehrte Licht und Recht verſtehn?
Würde nicht dein gantzes Volck hier und dort ſein Heil verlieren /
Lieſſe dich die Weisheit nicht durch die Welt zum Himmel führen?

3.

Durch das Schrecken der Geſetze / ſo die Weisheit dir gemacht /
Haſt du Häuſer / Städt und Länder zur gewünſchten Ruh gebracht.
Dieſe kan den krancken Leib durch beliebte Mittel laben /
Und den ſchwachen Lebens-Reſt mit verneuter Krafft begaben.

4.

Daß die wohlgeſetzte Rede vor den Ohren lieblich klingt /
Daß der Mund die ſüſſen Lieder mit beliebter Anmuth ſingt /
Daß kein grober Unverſtand dein Vergnügen darff zertreiben /
Dieſes haſt du / kluge Welt / bloß der Weisheit zuzuſchreiben.

5.

Dieſe weiß den Lauff des Himmels / ſie beſchaut der Sternen Zahl;
Dieſe zeigt dir Bahn und Straſſe durch die Wälder / Berg und Thal.
Kanſt du doch dein Vaterland / dieſe Welt / nicht recht erkennen /
Wenn dich nicht der Weisheit Rath lehrte Städt und Länder nennen.

6.

Alles was der Menſchen Auge hoch/ und Wunderns-würdig ſchaut/
Die Triumph- und Ehren-Bogen hat der Weiſen Rath erbaut.
Dieſer ſtützt den Königs-Thron/ziert die prächtigen Palläſte/
Er bewahret Stadt und Land / machet Thor und Mauren feſte.

7.

Drum laß dir die Schaar der Weiſen / kluge Welt / befohlen ſeyn;
Stimme nur in ihr Vergnügen / in der Künſte Wachsthum ein.
Soll der Erden beſter Ruhm nicht in Barbarey erkalten/
Ey ſo ſpare keinen Fleiß / Kunſt und Tugend zu erhalten.

INTROITUS I.

Curioſus, Hiſtoricus, Pictor, Sculptor, Plaſtes.

C*urioſus*. Gratulor mihi, Viri optimi, de præſentiâ veſtrâ exoptatisſima, & quod ſermonibus veſtris aures & animum paſcere liceat, in ſinu gaudeo. Animus noſter, qui in rerum terreſtrium Varietate curioſiora inquirere ſatagit, vix amabilius contemplationum ſuarum objectum invenire poteſt, quam artes veſtras naturæ imitatrices, quæ curioſum Spectatorem nunquam ſine delectatione dimittunt.

Hiſtoricus. Quod curioſa artis pictoriæ aut plaſtices opera mentem & oculos oblectent, nullus dubito; imò & curioſitati tuæ Artificum horum ſeu ſtylo, ſeu penicillo ſatisfieri poſſe ſpero. Sed quid ego artium harum ignarus voto tuo conferre valeam, vix perſpicio.

Curioſus. Non pingendi aut fingendi, ſed loquendi cauſa huc acceſſimus, Vir doctiſſime; & ut illi de pretioſis artificum operibus optime diſſerere, ſic te interprete diſcere poterimus, quæ rerum in Orbe geſtarum monumenta Pictorum, Plaſtarumque operibus impreſſa, Poſteritati relicta ſint. Nec ingratum artificibus noſtris erit, ſi artium ſuarum incunabula & antiqvum decus ſermonibus tuis explicata audient.

Pictor. Delineatio Corporum & accuratior artis noſtræ cognitio omnes hucusque intentionis meæ vires ſibi popoſcerunt, ita ut Pictoriæ artis initia & progreſſum inquirere minime licuerit. Felicem verò me hodiè prædicarem, ſi tuo beneficio, Vir eruditisſime, hunc cognitionis meæ defectum ſupplere liceret.

Hiſtoricus. Operoſum eſt, quod poſcis, Amice, imò, ob perpetuum fere Scriptorum diſſenſum, vix ſatis explicabile; quæ tamen ſuccurrunt, paucisſimis exponam. Primum Picturæ initium Plinius *Gygi* cuidam Lydo tribuit, qui in Ægypto degens corporis ſui ad ignem ſtantis umbram carbone circumſcripſiſſe dicitur. Ex hoc linearis pictura originem ſumſiſſe creditur, quæ inter antiquisſimos diu floruit, donec *Polygnotus* Athenienſis lineas circumſcriptas colore quodam explere inciperet.

Plinius L.7.c.56.

Quintilianus citat eum. L.12.c.10.

Curioſus. Memini, me apud Diodorum Siculum Sepulchrum Oſymanduæ, Regis Ægyptiorum antiquisſimi deſcriptum legiſſe, *Memnonis Sionitæ*, Pictoris & Statuarii opus, quod artis perfectionem antiquisſimam probare videtur.

Diodorus Siculus L.1.c.47. ſeq.

Hiſtoricus. Satis difficile eſt, de re antiquisſimâ judicium ferre. Adeò perfectum nobis exhibet Diodorus hoc *Memnonis* opus, adeò omnibus numeris abſolutum, ut omnia noſtri temporis artificia excellere videatur. Sed ex incerto rumore ſe hanc notitiam hauſiſſe, Diodorus ipſe fatetur, & ut facile apparet, quod rumori defuit, ex proprio cerebro ſupplevit.

Pictor. Perge quæſo, Vir doctisſime, & artis noſtræ incrementa paucis expone.

Hiſtoricus. Confuſa ſunt, quæ Plinius, aliique de hâc re annotârunt, & ratione temporis prorſus dubia. Sed ut quædam, & quæ veriora videntur, adducam; Monochromata illa rudiora à *Polygnoto* inventa diu in uſu fuiſſe videntur, quæ *Aglaophon, Hygiæmon, Dinias, Charmas,* & alii exercuerunt, donec *Eumarus* Athenienſis rerum imagines colorum varietate diſtingveret, & ad vivum, ut loquimur, corpora quævis depingere inciperet. Sed majora longe arti contulit *Cimon Cleonæus*, qui Catagrapha invenit, & quemlibet corporum ſitum, membrorum articulis probè obſervatis, ſcite expresſit. Uſum penicilli accuratiorem *Apollodoro* Athenienſi debemus, ſed perfectior Ars per certamina *Zeuxidis, Parrhaſii,* & *Polygnoti* junioris reddebatur. *Zeuxis* luminis & umbræ rationem inveniebat, *Parrhaſius* linearum accuratâ ſubtilitate cæteros antecellebat, *Polygnotus Thaſius* verò mores & affectus faciei humanæ primus exprimebat. Florebant tum tria per Græciam Picturarum genera, Atticum ſeu Helladicum, hactenus citatum, Jonicum ſive Aſiaticum, colorum varietate à priori abludens, & Sicyonium in *Eupompi Sicyonii* honorem ita dictum. Sic ſtante Græciæ libertate creverant artes pictoriæ, eâ vero inclinante ad ſumma perveniebant *Pamphili* & Diſcipuli ejusdem *Apellis* ope. Illius arte excitata Græcorum curioſitas omnes ingenuæ nativitatis juvenes Diagraphicen doceri jubebat; quantam verò gloriam Alexandri ævo *Apelles* penicillo ſuo ſibi paraverit, neminem latet. Cæteros ſeu Græcæ, ſive Romanæ gentis pictores recenſere, moleſtum foret, quorum Catalogum ſatis amplum ex Plinio, Athenæo, Tatiano, aliisque colligere pronum eſſet.

J. C. Bulengerus de Pict. L. 1. c. 9.

Curioſus. Nec integram artis pictoriæ, pictorumque notitiam in genere à Te poſco; ſed particularia quædam ſunt, quæ veſtra, Amici, curioſitate in animum revocata & ex-

pen-

penſa deſidero, qui unicus præſentis colloquii noſtri ſcopus erit. Cuſtoditur in Bibliotheca Templo Eliſabetano noſtro annexa non exiguus rerum Theſaurus, quas ſive Pictorum induſtria, ſive ingenioſum Sculptoris cælum, ſive Anaglyptice Spectatorum delectationi paravit. Hæc, cum à vobis artium harum peritis antea perluſtrata & obſervata ſciam, rerum notatu dignisſimarum repetitionem à vobis expeto, eamque vobis ipſis non injucundam fore, confido.

Sculptor. Stupidi eſſemus, & artium noſtrarum commercio indigni, ſi nullam ex jucundi hujus Gazophylacii commemoratione delectationem caperemus. Inexpectata, quam hic inveni, ſculpturarum copia adeò animum meum affecit, ut vix aliquot dierum contemplationem mihi tædioſam fore crederem.

Pictor. Placet artium noſtrarum Patronis Atrium Heroicum, quod circa Seculi hujus initium *Dominicus Cuſtos* Auguſtæ Vindelicorum publicavit; ſed in hujus Bibliothecæ aditu in Atrium Heroicum longe Splendidius mihi delatus videbar, ubi copioſæ Heroum Imagines coloribus ſuis penicilli artificio adornatæ, oculos & animum mira delectatione impleverunt. Vidi hic CHRISTI ſub Hortulani ſpecie Mariæ Magdalenæ apparentis imaginem viventium magnitudine expreſſam; Vidi 4. Evangeliſtarum ſcite elaboratas picturas; ſed ab his à recentiori manu, artificiosâ licet, profectis operibus me abducebat ingens Tabularum lignearum copia, quibus Heroum, Fœminarumque illuſtrium Capita ante ſesquiſeculum fere depicta ſiſtuntur, tanta vultuum & linearum concinnitate, tanta colorum conſtantiâ, ut vix unius anni ætatem præ ſe ferre videantur.

Curioſus. An verò ignotum eſt artificis nomen, cui hæc artis veſtræ Cimelia debentur.

Pictor. Ignotum eſt, quod maximè doleo; & quamvis plurima ab unâ eâdemque manu profecta videantur, at-

tamen nec ſedula inquiſitione adhibitâ quicquam monumenti reperire potui, ex quo Pictoris, celebre ſine dubio nomen colligere licuiſſet. Non tamen dubito, Antverpienſi alicui hæc ornamenta deberi, cum facies Principum eo tempore in Belgio verſantium vel maximè ad vivum expreſſæ videantur. Quamvis autem hic colorum & artis perfectio menti meæ egregiè ſatisfecerint; ſufficiens tamen facierum cognitio mihi defuit, hiſtoriarum ſuperioris Seculi ignaro; quam tamen anxiè deſideravi.

Curioſus. Defectum hunc, ut ſpero, Hiſtoricus noſter in his rebus exercitatisſimus ſupplebit, qui & ipſe ſine dubio ex pictis his ſuperioris Seculi monumentis delectationem hauſit.

Hiſtoricus. Tantam certè, quantam verbis exprimere minimè valeo. Si res ſuperioris ævi Scriptorum calamo delineatæ animum noſtrum afficiunt, quid non penicilli artificio fieret, per quod Spiritus quaſi & vita redit Viris in Orbe quondam illuſtribus. Credo tantam hic delectationem minimè capere illos, qui ſolos linearum ductus contemplantur; Sed qui priſci temporis geſta Autorum lectione ſibi familiaria reddidit, & celebrium olim virorum ora ad vivum delineata videt, certè extra ſe quaſi raptus, majorem, quam ex ullo delitiarum genere, ſvavitatem ſentit.

Curioſus. Repete quæſo, quæ fuerint præcipua, quæ te delectarunt monumenta?

Hiſtoricus. Vidi hic Auſtriacæ magnitudinis decora, *Maximilianum primum* in ipſa etiam effigie aliquid Heroici Spirantem; *Philippum*, primum ex Auſtriacis Hiſpaniæ Regem; *Carolum Vtum* Imperatorem Maximum, *Philippum II.* potentisſimum Hiſpaniæ & Indiarum Monarcham, hujusque filium *Carolum* præmaturo & infelici exitu peremptum, imò & *Maximilianum II.* optimum & æternâ memoriâ dignum Imperatorem; &, hi quidem omnes nativum decus ſuum, heroi-

cosque

coſque Spiritus penicilli beneficio Spectatori exhibent. Ex Galliæ Regibus *Franciſcus I. Henricus II. & Carolus IX.* eâdem, qua priores, arte, aut etiam manu, depicti cernuntur. Præcipuum verò quod oculos animumque meum mirâ dulcedine affecit, fuere copioſæ ſatis Heroum Icones, qui Belli Belgici turbis immixti, ſive Hiſpanicæ Dominationis, ſeu Belgicæ libertatis augmenta forti manu propugnavere. Vidi duplicem tàm in Belgium accedentis, quàm morti proximi Vultum *Ferdinandi Toletani, Ducis Albani*, quem vulgò Belgici Scriptores nimiæ ſeveritatis accuſant; hujusque incentorem *Antonium Perenottum*, Cardinalem Granvellanum purpurâ ſuâ ornatum vidi. Albani latus premebat deſtinatus illi à Rege Succeſſor *Johannes à Cerda, Dux Medinæ Cœli;* nec deerant exteri Principes, Hiſpanicæ tamen potentiæ in prælio præcipue 1557. contra Gallos ad Quintini Fanum ſtrenui defenſores *Emanuel Philibertus*, Sabaudus, & *Ericus* junior Dux Brunſvicenſis, ambo aurei Velleris ornatu inſigniti. Apparebant primæ libertatis Belgicæ Victimæ, ipſis etiam hoſtibus laudati Heroës, *Lamoralius Comes de Egmont*, & *Philippus Mommorantius Hornæ* Comes, & qui horum Sangvinem pertinaci in Albanum odio, longaque armorum felicitate vindicavit, *Gvilielmus Naſſovius*, Princeps Arauſionenſis. Sequebantur hos longo ordine *Philippus Crojus, Dux Areſchotanus*, diu Regis, poſtea confœderatorum; *Johannes Glimæus, Marchio Bergenſis*, præcipuus Granvellani hoſtis; *Maximilianus Henninius Boſſuvii Comes*, poſt navale prœlium & corpore, & animo à confœderatis captus, *Antonius Lalinius, Comes Hochſtratenſis*, ex Albani manibus fugâ elapſus, *Carolus Brimæus Comes Meganus*, Regiæ parti addictisſimus, & *Henricus Bredorodius*, Dux conjurationis in Albanum. Hi omnes arte adeò judiciosâ, vultu adeò vivaci ſiſtuntur, ut inter Heroës hos vitæ reſtitutos te verſari crederes.

Pi-

Pictor. Delectationem in me mirum quantum auges, Vir eruditisſime, dum tuo beneficio jam ea intelligo, in quibus antea ſolos penicilli ductus mirabar. Sed longè plures tabulas adeſſe memini, quarum etiam à Te declarationem ſpero.

Hiſtoricus. Ex Belgio in Galliam me vocat Heroum ſeries, quæ non minora Galliæ lumina ſpectanda offert, tumultibus ſuperioris Seculi intricata. Siſtuntur tria fratrum celeberrimorum paria, *Antonius Borbonius* & *Ludovicus Condæus*, Reformatorum per Galliam Capita, hisque conſilio & auxilio juncti *Caſpar* & *Andelottus*, *Colinii*, ille Franciæ Admiralius, hic univerſo peditatui præfectus. Hoſtes horum infenſisſimi adduntur, fratres *Franciſcus Gviſius* & *Claudius Aumalius*, ille in Aurelianenſi, hic Rupellenſi obſidione globis trajecti, nec omiſſus *Johannes Poltrotus*, Franciſci Guiſii interfector, in ipſa imagine crudelitatem ſpirans; & ut in Vitâ Aulicorum cætibus, ſic hic Heroum Vultibus ſe immiſcuit prudentis ſtultitiæ Conſultus, *Clemens Marottus*.

Pictor. An verò hic totus eſt Tabularum numerus, ſuperioris Seculi illuſtriora lumina referentium?

Hiſtoricus. Minimè verò. Hic & *Carolum Audacem Burgundum*, Seculi XVti decus, hic *Johannem Fridericum*, Saxoniæ Electorem in Smalcaldico bello infelicem; hic eruditorum quorundam facies, quorum *Eraſmus Roterodamus* agmen ducit, ſpectare licet. Additur prolixa illuſtrium fœminarum ſeries, & venuſtate facierum, & cultus elegantiâ oculos oblectans, quarum tamen catalogum ſubnectere vereor, ne ipſa etiam pulchritudo in tædium vertatur. Omitto Pontificum quorundam & Cardinalium eadem manu & artificio paratas effigies; taceo *Rehdigerorum Nicolai* & *Thomæ*, *Lutheri Melanchthonis* & *Calvini*, Theologorum item Vratislavienſium quorundam monumenta, aliaque curioſa quidem, ſed multitudine ſuâ forſan moleſta.

Curio-

Curioſus. Alia ſunt, quæ oculos & animum ſibi poſcunt. Obſervaſti forſan Amice, & antiquarum & ſubtilium picturarum cimelia, laude ſuâ non defraudanda.

Pictor. Obſervavi non ſine maximâ mentis oblectatione, nihilque magis dolui, quam quod monumentis hiſce curioſis Autorum nomina ubique deſint. Vidi picturas non paucas, membranaceis codicibus inſertas, quæ 3. vel etiam 4. Seculorum ætatem referunt; & in iis ſi non exactam delineandi perfectionem, facierum tamen ſvavitatem & colorum accuratè tritorum & commixtorum conſtantiam miratus ſum. Præcipuè mentem meam affecerunt 4. Majoris formæ codices, mira picturarum copioſisſimarum ſubtilitate referti, quarum exacta contemplatio aliquot dierum conſiderationem poſcit.

Hiſtoricus. Continent hi codices *Johannis Froisſardi,* Canonici Chimacenſis Hiſtoriam ſui temporis, quâ non modo res ab anno 1326. per 73. annos in Orbe geſtæ fideliter exprimuntur, ſed & Arcium & Ædificiorum ſtatus, ritûs publici, veſtes, aliaque ſtatum Seculi XIV. illuſtrantia picturis artificioſis ante oculos ponuntur, ita ut codices hi eximium antiquitatis Theſaurum, Hiſtoricæ rei quam maximè inſervientem, contineant.

Pictor. Provocare mihi videntur Picturæ hæ noſtri temporis tàm artem, quàm induſtriam; adeò accurate, adeò diligenter omnia elaborata ſunt. Altius aſcendiſſe in Catagraphis & umbræ luminisque obſervatione Seculum noſtrum non repugno; ſed qui in imaginibus hiſce ædificiorum accuratisſimam delineationem, Sylvarum & montium ſvavisſimos tractus, aëris, nubiumque jucunda Spectacula, operoſisſimas præliorum mixturas, & in his omnibus linearum ductus, exactamque ſubtilitatem examinabit, facilè fatebitur, Artificem hanc, ſi vel hoc ſolum totius Vitæ opus eſſet, perpetuam hoc uno nominis celebritatem meruiſſe.

Curioſus. Vidiſtine prorſus exiguam Dominicæ pasſionis delineationem?

Pictor. Cum admiratione vidi. Spatium eſt vix obuli magnitudinem excedens, quod tamen CHRISTUM inter duos Latrones crucifixum, adſtantes Johannem & Mariam, militum tàm equeſtrium, quàm pedeſtrium aliorumque hominum haud exiguam copiam, aream vacuam ſatis amplam, Urbem Hieroſolymorum in dextro latere appictam, eaque omnia diſtinctè videnda exhibet. Alia non pauca eſſent recenſione digna; Ars pyroboliſtica integra volumine ingenti magnâ figurarum affabre elaboratarum copiâ expreſſa; Effigies CHRISTI & Mariæ Vitro artificiosè appictæ, Specimina picturæ Rusſicæ, Helena Antonia Leodienſis, puella barbata, aliaque, quæ prolixitatis vitandæ gratia omitto. Unum reſtat, non ſine injuriâ tacendum; Volumen ſcil. florum Iconibus plenum, quorum plurimæ ſpecies ad vivum, ut loquimur delineatæ, tàm colorum ſvavitate, quàm artis perfectione ſe Spectatorum oculis ſatis commendant.

Curioſus. Satis diu colorum varietate gaviſi ſumus; tempus eſt, ut & inquiramus, quid Sculptorum cælo elaboratum plutei noſtri exhibeant. Quid tu, Amice, artis tuæ hic inveniſti.

Sculptor. Figurarum in æs inciſarum plusquam viginti millia inveni; apparatum certè tantum, qui ſufficiens eſſet, ad totam Sculptorum & artis Sculptoriæ hiſtoriam inde illuſtrandam. Vix quisquam erit Artificum ſeu Antiquiorum, ſive recentiorum, cujus hic opera non inveniantur quædam, curioſisſimo cuique ſpectatori ſufficientia.

Curioſus. Quando verò & ubi artem Sculptoriam veſtram inventam putas?

Sculptor. Tria ſunt artis noſtræ genera, Inciſio figurarum in ligneas tabulas. Eroſio æris, aquâ forti fieri ſolita, & inciſio ejusdem, quæ ſtylo ſive cælo peragitur. De omnium ha-

harum artium inventione Itali gloriantur; an verò jactantia eorum genuino nitatur fundamento, non ſatis conſtat.

Hiſtoricus. Minimè verò concedendum eſt Italis, ut Nationi Germanicæ hanc inventionis gloriam eripiant. Inciſio in tabulas ligneas artis typographicæ in Germania inventæ fœtus eſt, quod antiquisſimi codices non pauci Norimbergæ, Auguſtæ, & alibi Seculo XVto impresſi, & hâc arte inciſoriâ ornati, ſatis teſtantur. Cupri & inciſionem & eroſionem Itali fruſtra ab *Andrea Mantegna* & *Franciſco Parmeſanino* inventas gloriantur; Germania enim ante utriusque horum nativitatem *Martini Schönii* & *Alberti Dureri* in utrâque arte opera Orbi expoſuerat.

Curioſus. Recenſe, quæſo, præcipuorum artificum, tàm veterum, quàm recentiorum opera, quæ hic tibi curioſiora viſa.

Sculptor. Multitudine obruor, & multa licet referens, vix tamen initium rei traderem; quædam tamen referam, obſequium juſſui tuo præſtiturus. Nihil mirabilius viſum, quam unde hic tanta antiquorum operum copia confluxerit, quorum plurima & curioſisſimorum artis hujus inquiſitorum diligentiam fugiunt. Vix aliquid *Alb. Düreri* artificioſa manus, ſive ligno, ſeu æri incidit, quod hic non appareat; nec deſunt *Martini Schœnii*, primi omnium Chalcographi, labores. Figuræ ligno inſculptæ *Joh. Scheuffelini*, exactisſimi imitatoris Düreri, Sculpturæ *Lucæ Leudenſis*, *Alberti Aldegrafii*, *Bartholomæi* & *Johannis Sebaldi Böhmiorum*, *Alberti Altörferi*, *Georgii Penſii*, *Jacobi Binkii* & *Virgilii Solis* copioſius hic aſſervantur; imò nec *Jacobi Broshameri* opera deſunt, quæ maximus Chalcographorum indagator *Joachimus à Sandrart* ſe non vidiſſe conqueritur. Vix verbis exprimere valeo, quantum me Monogrammata Artificum antiquorum delectaverint, quibus fere ſinguli nomina ſua indicarunt, vel etiam alia Signa, inter quæ *Lucæ Cranachii* Serpens alatus eminet, inter hæc cimelia ſæpè videndus.

Pictor. Non Sculptorum modò, ſed & Pictorum excellentium memoriam hic conſervari forſan obſervaſti, utrorumque itaque ratio tibi habenda.

Sculptor. Eſt, ut noſti, ars noſtra, veſtræ imitatrix, nec aliquis noſtrum erit, qui artis veſtræ Principes non maximi faciat. Sed quod temporis ſpatium ſuffecturum putas, ad capienda eorum elogia, qui operas ſuas huic Theſauro contulerunt? Dies deficeret, antequam vel ſola nomina ſatis referrem.

Hiſtoricus. Refer, ſi placet, ex præcipuis quosdam, imò ne tibi in tanto numero electio gravis ſit, nationum differentiam obſervare poteris.

Sculptor. Seculum antecedens initio ſuo in Italia *Raphaëlem Urbinatem*, & *Antonium Corregienſem* mirabatur; ipſe ego monumenta horum copioſa hic miratus ſum. Lumina artis pictoriæ, quæ circa medium Seculi XVIti ſimul Italiam illuſtrabant, plurima adhuc in operibus ſuis hic conſervatis fulgent, ſcilicet *Mich. Angelus Bonarotta*, *Titianus Occellus*, *Jacobus Tinctorettus*, *Fred. Barotius*, Urbinas, *Paulus Caliarius*, Veronenſis, & qui Seculum noſtrum ferè attigerunt, *Jacobus Palma*, Venetus, *Jac. de Ponte Baſſano*, *Joſephus Arpinenſis*, *Paulus Farinatus*, *Annibal Caraccius*, aliique non pauci. Adſunt & celebria Seculi noſtri quædam decora, *Guido Renus*, Bononienſis, *Petrus Teſta*, infelici exitu & arte ſuá indigno Tiberi ſubmerſus, *Petrus Berettinus*, Cortonenſis, *Franciſcus Albanus*, Bononienſis, aliique quorum opera æri inſculpta curioſum Spectatorem mirum quantum afficiunt. Nec eſt, quod Sculptorum Italorum artificia deſideres, cum *Martii Antonii*, Imitatoris Düreri non infelicis, *Julii Bonaſonii*, cæli & artis ſvavitate celebris, *Æneæ Vici*, Parmenſis, eruditione clari, *Julii Fontanæ*, Veronenſis, *Philippi Thomaſini*, *Julii Sanutæ*, *Petri Sanctii Bartholi*, *Ferdinandi Bertelii*, *Joh. Jac. de Rubeis*, *Caroli Caſii*, *Stephani de la Bella*, aliorumque non paucorum opera copioſè ſatis appareant.

Hiſt.

Hiſtoricus. Quos verò Gallicæ nationis artifices hic obſervaſti?

Sculptor. Ex Pictoribus optimorum *Bernardi*, *Caroli Brunii*, *Nicolai Pitonii*, *Joh. Cosſierii*, *Samuelis Bordoni*, *Nicolai Pusſinii*, *Iſraëlis Sylveſtris*, aliorumque multorum opera ſe perfectæ delineationis artificio commendant. Ex Sculptorum operibus *Nicolai Perellii*, *Cornelii Galli*, *Joh. Morini*, & aliorum Campi Sylvæque admirandâ ſvavitate inſignes, *Gerb. Lairesſii*, *Joh. Petrii* & *Gregorii Hureti*, Sacræ Profanæque hiſtoriæ artis perfectione mirabiles, *Jacobi Calotti*, *Abrahami Bosſii*, & aliorum abſoluta eroſionis ſpecimina; *Franciſci* & *Nicolai Poilliorum*, *Nicolai Bonartii*, multorumque aliorum perjucundæ imagines Spectatorum oculos alliciunt.

Hiſtoricus. Belgicorum artificum hic ſine dubio non exiguus numerus erit?

Sculptor. Tantus certè, ut reliquorum omnium copiam longo intervallo poſt ſe relinquat. Antwerpia ſola provocare reliqvum Orbem valet, cujus artifices hic ingenti numero in operibus ſuis ſe ſpectandos præbent. *Petri Pauli Rubenii* miranda ſpecimina hic aliquot volumina complent; *Antonii de Dyk*, *Martini de Vos*, *Bartholomæi Sprangeri*, *Gerhardi Segeri*, *Jacobi Jordani*, *Jacobi de Gheyn*, *Eraſmi Quellini*, *Ægid. Coniaxloo*, aliorumque inventa naturæ æmula hic copioſè oculis ſe inſinuant; hic *Pauli Brillii* & *Jacobi Foquierii* camporum Sylvarumque jucunditas, hic *Adriani Browери* & *Petri Breugelii* inter ruſticos nati actiones ruſticorum mirâ arte expreſſæ, hic *Davidis Tenierii* induſtriâ collecta variorum artificum Specimina apparent. Quid de reliquis, quos Belgium copioſè ſatis obtulit, dicendum? *Huberti Golzii*, eruditisſimi Pictoris & Sculptoris ubertas, *Rulandi Savery* jucunditas naturæ, penicillo expreſſa, *Pauli Moreelſenii* facierum perfectio, *Petri de Laer* maximæ artis minutiæ, *Davidis Vinkbomii* delineationum elegantia, *Abrahami Diepenbeckii* Sedulitas, *Abrahami Blœmart*

floridisſima artificia, aliaque plurima admirationem merentur. Sola *Rembrandi de Rhyn* opera, contra artis fere regulas mirâ perfectionis laude digna, aliquot horarum contemplationem poſcere videntur.

Pictor. Optime mereris de artis noſtræ Principibus, Amice, quos ſedulâ hac recenſione dignos judicaſti. Adde jam & tuorum artificum laudes, non minori admiratione dignorum.

Sculptor. Paucos certè Orbis vidit, quorum hic memoria non extet. Diu me detinuit *Nicolai Bruynii* ſumma in Arboribus montibusque exprimendis ſvavitas, linearumque ſubtilitas; *Jacobi Matham* & *Joh. Sanredam* in affectibus exprimendis felicitas, *Pauli Pontii*, *Mich. Natalis*, *Lucæ Vorſtermanni*, *Petri de Jode*, *Henrici Hondii*, *Joh. Sommeri*, *Botſwertiorum*, multorumque aliorum opera laudatisſima, hic curioſisſimo cuique ſatisfaciunt. Quid *Corn. Blœmart* & *Antonius Waterloo* in camporum ædificiorumque delineatione, quid *Nicolaus* & *Cornelius Viſcheri*, quid *Fridericus Wittius*, aliique variarum rerum deſignatione præſtiterint, optime videndum. Afficiunt præcipuè Specimina artis jucundisſimæ, quæ inverſo umbrarum ordine nigro fundamento candidas imagines imponit, curioſorum oculos, quæ hic *Gvil. Vaillantii*, *Blotelingii*, *Petri Schenkii* aliorumque artificioſâ manu facta, copioſè ſatis exhibentur.

Hiſtoricus. An verò in tantâ Artificum copia nihil gloriæ Germanis noſtris relictum eſt?

Pictor. Lucent hic copia minimè contemnenda Artis noſtræ ex Germanis Lumina; ex quibus præter ſupra laudatos *Dürerum*, *Cranachium*, aliosque, hic *Joh. Holbeinium*, *Joh. Aquisgranenſem*, *Criſpinum Paſſæum* cum *Magdalena* filia, multosque alios in operibus ſuis vivere deprehendi. Idem de *Joh. Feldii*, *Adami Elsheimeri* & *Joh. Heinrici Schönfeldii* artificioſis inventis dicendum, quæ æquè ac *Joſephi Heinzii*, *Chriſtophori Schwart-*

Schwartzii & præ cæteris *Joachimi à Sandrart* opera, hic copioſè videnda, quosvis exterorum labores ſi non ſuperant, certè tamen felici jucunditate æquant.

Sculptor. Nihil prærogativæ exteris relictum erit, ſi *Ægidii* & *Raphaëlis Sadlerorum*, *Bartholomæi* & *Lucæ Kilianorum*, *Georgii Andreæ Wolfgangi*, *Melchioris Küſelii*, *Jeremiæ Valkii*, multorumque Germanorum Sculpturas omnibus numeris abſolutas intueri placebit. Solus *Wenz. Hollar*, Bohemus, æris per aquam fortem eroſione, cujus copioſa Specimina hic apparent, omnes alienigenas longo intervallo poſt ſe reliquit.

Curioſus. Reſtat, ut ex Te quoque, Amice, qui fingendarum ex variâ materiâ imaginum artem calles, audiamus, an & plaſticè aliquid Cimeliarchio huic contulerit?

Plaſtes. Non pauca certè, quæ licet artium harum ignaris forſan parvi videantur, judicioſo tamen Spectatori haud exiguam voluptatem creant. Licitum autem erit ſub plaſtice in antiquo ſenſu acceptâ intelligere non modò artem ex cera, luto vel metallo imagines fingendi, ſed & ex ligno, ebore & alabaſtro icones exſculpendi; quæ artes ex delineationis promptitudine natæ nexu arctiori cohærent. Cum antea, Amici, Heroum Vultus penicillo adumbratos laudaretis, tacitus mecum penſitabam, annon eosdem ſive cerâ, ſive metallo expreſſos ars mea felicius memoriæ commendaverit. Non hic prolixa verborum ambage demonſtrare nitar, Plaſticen, materiam ſolidam, ad vultuum corporumque ſimilitudinem expoliendo, naturam accuratius imitari poſſe; hoc tantum in præſenti referam, me inter Cimelia Bibliothecæ laudatæ multa & eximia artis hujus Specimina inveniſſe. Vidi Thecas 20. è corio ductibus aureis exornato, quæ imagines è cerâ fictas Vultuum ſimilitudinem ſumma Svavitate referentes in ſe continent, quarum plurimæ ad Aulam Gallicam ſuperioris Seculi ſpectant. Hic *Henricum II.* Regem

cum Fratre *Carolo Aurelianenſi*, & quatuor filiis *Franciſco II. Carolo IX. Henrico III.* & *Franciſco Alenzonio* ſpectare licet; hic illuſtres Fœminæ *Catharina Medicea*, 4. Filiorum jam citatorum Mater, *Maria Albretana* Navarræ, Regina, & *Maria* Scotiæ, exitu infelix aliæque apparent. Videntur & Cardinalium *Borbonii*, *Lotharingi*, *Oliverii*, & *Senonenſis*, item *Franciſci Gviſii*, ipſius etiam *Clementis Marotti*, & aliorum Vultus, affabrè elaborati. Imò & hâc arte effictæ quædam Theologorum Evangelicorum facies *Martini Lutheri*, *Philippi Melanchthonis* & præcipuè *Lucæ Pollionis* Spectatorum oculos oblectant.

Hiſtoricus. Vidi capſulis ligneis incluſam plumbearum imaginum copiam, quam etiam ad artis tuæ effecta pertinere puto.

Plaſtes. Rectè mones, hoc eſt amplum ſatis rerum curioſisſimarum penu, vix minori jucunditate, quam veſtra Pictorum Sculptorumque opera ab artium harum gnaris aſpicienda. Trecenta & 17. Signa numeravi è plumbo fuſa, tantam Symmetriæ artisque perfectionem præ ſe ferentia, ut vix eorum aſpectu curioſi ſaturari queant. Inter quadraginta & 7. Heroum Simulacra eminent *Caroli V.* Cæſ. *Philippi II.* Hiſpani & *Caroli* filii, *Ferdinandi I.* & *Maximiliani II.* Imperatorum; *Sigismundi Auguſti*, Poloniæ & *Erici* Sveciæ Regum effigies. *Emanuëlis Philiberti* Sabaudi, *Alexandri*, *Franciſci* & *Coſmi II.* Mediceorum, *Octavi* Parmenſis, *Alphonſi* Ferrarienſis, aliorumque multorum ducum Heroumque icones oculos oblectant; præcipuè Turcorum flagella *Johann. de Valette*, Maltenſium Magiſter, & *Andreas Doria* Genuenſium reſtitutor hic ſeſe ſpectandos præbent. Quid de 72. Fœminarum illuſtrium Iconibus, dicendum, tanta artis perfectione, tanta oris membrorumque ſvavitate elaboratis, ut animum oculosque ſuſpenſos teneant. Digna eſſent jucundisſima artis ſpectacula, quorum Catalogum referrem, ſed auribus forſan audiendo fesſis parcendum cenſeo. Paparum, Cardinalium

ſtum aliorumque Virorum literis aut Virtute illuſtrium quinquaginta & novem Capita adduntur recenſione dignisſima, niſi eadem mihi cauſa ſilentium imponeret. Sed ignoſcite, quod artis admiratione ductus tacere non posſim, centum triginta & novem Hiſtoriarum tàm ſacrarum, quàm profanarum Fabularum & Emblematum curioſa Cimelia, magna ex parte *Valerii Belli Vicentini* artificioſâ manu jam ante centum & ſeptuaginta annos elaborata, in quibus haud ſcio, an artem magis an inventionum acumen aut Lemmatum ſenſum mirari debeam.

Hiſtoricus. Memini me vidiſſe inter alia Carolum Vtum equitantem à Virtute prævia ductum lemmate addito: *Majora ſequentur*. Suſtinet Hero Leandri fluctibus ſuffocati corpus ſiniſtrâ, dextramque ad cœlum protendens, clamat: *Quæ mea Culpa tamen?* Amor durisſimæ rupi inſiſtit, lemmaque adſcriptum eſt: *Ni pedem tollas, diruam:* Virtus hilari vultu morti obviam procedit, verbis additis: *Mihi non dominaberis*. Taceo alia & copioſisſima, & jucundisſima, Tibique, Amice, plura forſan artis tuæ relaturo non impedimento eſſe volo.

Plaſtes. Multa eſſent accuratâ relatione digna, niſi me copia & prolixitatis tædium impedirent. Caput *Livii* ex ære fuſum, genuinæ antiquitatis opus, SALVATORIS è cruce pendentis, altera quidem ex ebore, è ſuccino altera, effigies, affabrè elaboratæ, infans è Corallio ſculptus, copioſæ metallifoſſorum imagines, lignum exiguum ſubtilisſimâ ſculptura multas Icones ſacras cum Crucifixi effigie repræſentans, aliaque multa referri poſſent, ſed finis tandem ſermoni meo imponendus erit. Forſan hæc non ſine multorum tædio retulimus.

Curioſus. Ars non habet Oſorem niſi ignorantem. Benignum vel unius prudentis & artium effecta dijudicare ſcientis judicium potius nobis ſit omnium eorum reprehen-

 ſione,

ſione, qui elegantiorum literarum nomine ſuperbientes, partem eam quam posſident eruditionis, in ſordidæ artis quæſtum mutant, omniaque lucro unico metiuntur. Addite quæſo, ſi quid è curioſitatis; noſtras nunquam fatigare poteritis aures.

Pictor. Nihil adderem, niſi Germanus Vratislaviæ Decor, Georgii Schöbelii à Roſenfeld curâ & ſumtu quondam adornatus ſine culpa omitti non poſſet, cujus totum apparatum, pictum, ſculptumque hæc Bibliotheca oſtendit. Sunt ſcil. Patrum Patriæ, Senatorum ſcil. urbis hujus inclytæ, ex quibus quidem non niſi duos hodiè cœleſtis miſericordia in bonorum ſolatium ſupereſſe ſinit, 23. effigies, *Georgii Scholtzii* penicillo pictæ, adjunctis Tabulis æneis viginti & 7. Phil. Kiliani manu non incelebri ſculptis; quæ Cimelia quilibet boni Patriæ cives non ſine delectatione contemplantur, Virorumque optimè de Patriâ meritorum memorias ſic conſervari laudant.

Sculptor. Nec minorem laudem meretur Tabula ænea lata ſatis *Davidis Conradi,* ante annum hujus Seculi 50. facta, quæ 27. areolis plurimas hiſtorias ſacras à Creatione ad extremum judicium ſolis punctis æri inciſis ſvaviter & artificioſè expresſas monſtrat, jucundo ſanè pro artium harum cultoribus ſpectaculo. Imò nec Specimen Sculpturæ & Typographiæ Chinenſis tacendum eſſet, quo tota vitæ SALVATORIS noſtri Hiſtoria multis integri Libri foliis expreſſa ſiſtitur, ſuppoſita ubique ſingularum tabularum explicatione Chinicâ.

Curioſus. Fateor, Curioſitati meæ non parum ſatisfeciſſe veſtram in recenſendo dexteritatem, quam debitâ gratiarum actione excipio, meque ad reciprocam officiorum promptitudinem vobis offero. Non diutius hic morari vos audeo, aliis forſan negotiis intentos, de novis tamen impoſterum conventibus mihi gratulabor.

Hiſtoricus. Vale, Vir eruditisſime, noſtrosque in recenſendo defectûs in bonam partem ducas.

Pictor. Vale, Patrone, artesque noſtras, ut hactenus, tibi comendatas habe.

INTERSCENIUM I.

Pictura, Sculptura, Plaſtice.

Pictura. VOs certè poterit peritus orbis
Nunquam credere laude digniores.
Ecquis ferrea ſcalpra penicillo
Docto, flexibili, expeditiori
Prætuliſſe velit? Nec imperita
Tantum plebs erit inſcia, ut colores
Non præferre ſciat venuſtiores,
Seu nigris modo lineis, polito
Seu trunco, lapidique lævigato.
Sculptura. Eſto, judicium imperitiorum
Partes præcipuas tibi referre;
Eſto, luminibus tuos colores
Incautis melius placere poſſe.
Decretum potius peritiorum,
Quam ſententia plebis æſtimanda.
Te primùm rude ſeculum paravit,
Et ſimplex ſtatus orbis expolivit.
Aſt, me dum genuit peritus orbis,
Miranda ingenium valebat arte.
Jam quæ, turgida, præferenda cenſes?
An, quæ tempora docta præpararunt?
An, quæ ſimplicitas inepta gignit?
Plaſtice. Me non barbara, non peritiora
5 Unquam lumina, digniore cultu
Privarunt. Neque comparanda veſtris

Noſtra encomia laudibus. Fugaces
Orbi divitias parare, chartis
Infirmis, tabulisque comprehenſas,
Res eſt ſcilicet æſtimanda parvi.
Aſt æterna paro; nec ipſa mordax
Longi temporis hic valet poteſtas.
Sculpo marmora duriora, longum
Quæ fruſtra ſuperare tentat ævum.
Fundo duritie metalla forti
Contemnentia temporis valorem.
Pictura. Fruſtra dicitis. Haud nocere veſtra
Hæc jactantia laudibus valebit,
Quas antiqua mihi parat venuſtas.
Eſto, ſecula me dediſſe cruda;
Me tempus, genitam prius, peritum
Doctâ ſedulitate perpolivit.
(ad Sculpt.) Si te ſcilicet invenire prorſus
Sors cauti valuit benigna ſecli:
Quid non addere jam diu mihimet
Inventæ valuiſſet illud ævum?
(ad Plaſt.) Et tu perpetuum, ſuperba, fruſtra
Jactas artis opus; cadunt metalla;
Saxis, marmoribusque mors paratur.
Sculptura. Non tantum eſt, vario colore formam
Veri ſiſtere corporis. Sed artem
Contemplare meam; nigredo ſola
Veri corporis exhibet figuram;
Solum lumen imagines & umbra
Siſtunt; ingenioſa linearum
Miras mixtio perficit figuras.
Pictura. Umbras ſiſtis imaginum, nec ipſas
Veri corporis exhibes figuras.

Na-

Naturam reprehendis, & virentes
Campos, & roſeas genas, nigrante
Non pingis, maculas tuo colore.
Hic natura ſuum tenet vigorem.
En pulchrum roſeo decore vultum!
Annon dum vario colore pingo,
Naturæ vocat æmulam decente
Totus Nomine curioſus orbis?
Plaſtice. Si perfectio fertur artis ulla,
Naturæ quoque ſi quid univerſos
Ornatûs imitatione monſtrat,
Quærendum hoc erit in meo labore.
Naturæ æmula neutiquam decenti
Ars hæc nomine dicitur, rotundas
Quas natura paraverat figuras
Quæ planâ modo ſiſtit in tabellâ.
Aſt hic corpora corporum figuras
Naturæ ſimiles referre poſſunt.
Hic convexa poteſt figura ritè
Naturæ ſolidos referre vultus;
En ſvavi faciem rotunditate!
En mites oculos ſuis cavernis
Clauſos, atque genas vide venuſtas,
Et frontem tereti nitore pulchram.
Plana hanc ſiſtere gratiam tabella
Nec nigredine, nec valet colore.
Sculptura. Hoc, quod forma tibi rotunda præſtat,
Hoc idem mihi lux & umbra ſiſtunt.
Pictura. Hoc idem quoque ſuppleo colore
Qui fingit nitidam rotunditatem,
Luſu lumina gratiore fallens.
Sculptura. Unum me valet anteferre cunctis;
Quod cœlo ſemel artifex paravit

 Hoc

Hoc vel millibus explicare chartis,
Hoc excudere millies valebo.
Aſt, quod veſtra manus gravi labore
Abſolvit, vice ſimplici videtur.
Nec magno absque labore duplicatur.

Pictura. Verùm, quæ reliquis parare leges,
Et præſcribere regulas valebit,
Cujus ductum aliæ ſeqvuntur, illa
Ars præſtantior eſt habenda cunctis.

Plaſtice. Ductum, non nego, nos tuum ſequentes
Laude noſtrum opus abſolutiori
Præſtamus, neque regulis valemus,
Nec unquam placitis tuis carere.

Sculptura. Artem diſcimus ante linearum
Et præcepta tuæ docemur artis;
Tum quod ipſa tuo colore præſtas,
Nos præſtare ſtylo valemus apto.

Pictura. Ergò quæque ſuam tenere laudem,
Ac inſigne decus valebit artis.

Sculptura. Ergò gratus amor fideliori
Nunc conamine cor manusque jungat.

Plaſtice. Junctis ergò laboribus, ſorores,
Illuſtrare decus juvemus artis.

INTROITUS II.

Curioſus, Phyſicus, Mathematicus, Metallifoſſor, Nauta.

C*urioſus.* Accedite, Viri optimi, & me, converſationis veſtræ avidum, jucundis colloquiis veſtris exhilarate.

Phyſicus. Acceſſimus, Vir doctisſime, tuo juſſui obſequium præſtituri, jamque ut animi tui ſenſa nobis exponas,

& quid

& quid in tui gratiam nobis agendum, indices, humaniter rogamus.

Curioſus. Noſtis quanta curioſitate in naturæ & artis cimelia ferar, & quam jucundum mihi ſit in rerum non-ubique obviarum notitiam altius penetrare. Viſitavi eum in finem poſt varia Curioſorum Muſea etiam Bibliothecam, Templo Eliſabetano annexam, & in eadem aſſervata artis pictoriæ & ſculptoriæ opera, à quibusdam artium harum gnaris expoſita audivi. Cum verò in eodem Curioſitatis ſacrario, & quasdam Naturæ ludentis è terræ & maris ſinu divitias viderim, nec omnia per breve temporis punctum ſatis perluſtrare potuerim, hinc ingenti deſiderio rerum harum penitius cognoſcendarum flagro. Eum in finem vos, Viri egregii, & in his rebus ſatis exercitati, quos nuperrimè Cimeliarchium hoc peritiori oculo luſtraſſe ſciò, ad præſens colloquium invitavi, à veſtra, quam ſatis novi, cuilibet inſerviendi promptitudine accuratiorem Curioſitatum harum cognitionem mihi promittens.

Mathematicus. Non infelix in eligendo fuiſti, qui hos tibi rerum naturalium Interpretes advocaſti, quorum alter in latentibus terræ cavernis ſatis diu viſcera magnæ matris & manu, & oculo inquiſivit, alter diuturnis navigationibus maris gazas ſatis perveſtigavit. Horum relationibus ſi hujus Naturæ Conſulti erudita explicatio acceſſerit, à ſcopo non aberrabis. Sed à me, qui rerum quantitatem quidem circino & norma examinare, ſed rerum naturalium cauſas vix determinare novi, parum in deſiderio tuo adjumenti habebis.

Curioſus. Tu, ut ſpero, non contemnendum diſcurſibus noſtris ſupplementum dabis, ſi tibi indicare placuerit, quæ naturæ geometrizantis veſtigia inter mox citanda cimelia obſervaveris, quæ eo curioſiora erunt, quo mirabilius eſt, naturam ſponte ſua ſæpè illud præſtare, quod accuratisſima Mathematicorum dimenſio vix perfectius reddere valeret.

Mathe-

Mathematicus. Non nego, me talia hic vidiſſe contemplatione & admiratione digna, quæ, ſi ita placuerit, inter aliorum ſermones lubens annotabo.

Phyſicus. Præbet ea, quam in animum revocare jubes, Bibliotheca, non injucundum in poſteriori parte ſui ſpectaculum, ubi terreſtria marinis ſuperimpoſita pro ſpatii anguſtia ſatis commodum ſitum habent. Baſin complent viginti & quatuor ciſtulæ, varium rerum marinarum penu continentes, cui impoſita eſt Mineralium ſtrues, forma artificiali ſeſe commendans, quam tu, amice, quam optimè delineare poteris!

Metallifoſſor. Me ſuperbiorem ferè reddidiſſet ſpectaculum hoc, in gloriam Profesſionis noſtræ, hic, ut videtur, erectum; quæ enim de triumphis antiquorum ſolenni pompa ductis audivi, ea hic, rebus mineralibus non ſine jucunditate applicata vidi. Siſtitur Elephas turritus, præda quaſi onuſtus, qui oſſa magnæ matris varia ſcilicet Mineralium genera tergo impoſita gerit, quorum pulchritudo eximia ſplendorum & collorum diverſitate variegata oculos nimium quantum afficit. Comitantur robuſtum animal duodecim foſſores è ligno affabrè exſculpti, qui tam artis ſuæ inſtrumenta, quam ſplendidiores quasdam Mineras humeris impoſitas gerunt. Regitur beſtia triumphans à viris duobus, quorum alter fronti, alter proboſcidi inſidet, uterque ſpolia ſua, & habitum foſſoribus convenientem oſtendit. Duci videtur hic triumphus per mediam mineralium ſegetem, quæ copioſiora, tàm Elephanti pedibus ſubſtrata ſunt, quàm ejusdem latus cingunt.

Curioſus. Non ingrata eſt, quam ex metallico apparatu tibi finxiſti, delectatio. Sed non minùs gratum eſſet, rerum hic contentarum nomina audire.

Phyſicus. Vix brevis colloquii ſpatium tantam diverſarum rerum denominationem pati poterit, cum vix exigua hic

hic lapillorum particula appareat, quæ non aliquid curioſi oſtentet. Specierum tamen quarundam recenſionem à foſſore noſtro requirere, & ſic curioſitati tuæ aliquo modo ſatisfacere volo. Refer quæſo, Amice, quid lapidum pretioſorum hic obſervaveris.

Metallifoſſor. Ex lapidibus primo ſtatim intuitu oculos afficiunt quinque globi politi è *marmore* diverſi coloris, qui mira varietate macularum non illepidos naturæ luſus repræſentant.

Mathematicus. Maximus globorum horum ferè terreſtris globi faciem mentitur, quem natura ludibunda fuſco cingulo, quaſi Æquatore quodam in medio diſtinxit, reliquas partes verò provinciarum quaſi fluminibus ſuis interſtinctarum diverſitate ornavit; ſed perge in recenſione tua.

Metallifoſſor. E *Cryſtallo* non pauca hic oculos oblectant. Superiores Pyramidis Elephanti dorſo impoſitæ partes ornant duo globi cryſtallini è catenulis ſuſpenſi, puritate ſua ſeſe commendantes. Ambiunt verò Elephanti dorſum varia *Cryſtalli* curioſioris genera, ne omiſſa quidem *cryſtallo Briſtolienſi*, quam Britanni *Adamantis* nomine ornare ſolent.

Mathematicus. Habet & *Cryſtallus* ſua, quæ Mathematicos afficiunt, mirabilia. Quæ enim Mechanici in expoliendis gemmarum lateribus præſtare ſolent, hic ſolers Natura jucundo ſpectaculo exhibet, quæ cryſtallos è matrice ſua protuberare facit, & in cuſpides planis politisque ſuperficiebus ſplendidas faſtigiare ſolet. Vix Gemmariorum artificioſa manus jucundiores ex adamantibus roſas componere valebit, quam hic ſolius naturæ luſu è puriſſima cryſtallo compoſitas vidi.

Metallifoſſor. Minores gemmarum particulas hic non paucas vidi, è quibus quædam obvia recenſebo: *Jaſpis* viridi rubro & albo colore variegata, & artificis manu polita, ad digiti humani longitudinem, ſuperiorem Pyramidis partem or-

nat; *Amethyſtus* puriſſima, ultra cavæ manus magnitudinem ſe extendens, *Turcois* Hungarica, *Sardonychis*, & *Chalcedoniæ* gemmæ fragmenta, lapidis *Lazuli* particulæ, *Smaragdus* Occidentalis, in tenebris fulminans, aliaque talia hic apparent; imò & foſſorum quorundam frontes gemmis ornatæ ſunt. Vidi & fragmentum non exiguum lapidis ex vario gemmarum genere compoſiti, quem foſſores Freibergenſes, ubi non exigua ejusdem copia reperitur *lapidem Corallinum* vocant.

Phyſicus. Hic idem lapis eſt, quo hodie Germania noſtra tantum non Orientalium gemmarum pulchritudinem provocare poterit. Dicebatur lapis Corallinus, quousque pulchritudine illius nondum cognita curioſi cruda ſuperficie contenti fuere. Sed poſtquam Curioſorum noſtri temporis Princeps, Celeberrimus *Ehrenfried Waltherus à Tſchirnhaus* huic naturæ Cimelio admirandam ſuam poliendi artem applicavit, jam lapis hic totius ferè gemmeæ naturæ amœniſſimum compendium videtur. Sed adde, ſi quid lapidum à te viſorum reſtat.

Metallifoſſor. Varia addi poſſent, niſi forſan alia curioſiora ſupereſſent. *Hæmatitis* multa & ex parte quidem ſatis ponderoſa fragmina; tabulæ quædam *lapidis ſcisſilis Mansfeldici* piſcium figuras exactisſimè referentis, *Arboris petrefactæ* è cavernis vallis Joachimicæ fruſta, *lapides violarum odorem* ſpargentes, aliaque non pauca Curioſum ſpectatorem delectare queunt.

Phyſicus. Quid verò hic, Amice, inter tot auri, argentique mineras præ cæteris curioſum reperiſti.

Metallifoſſor. Amplum nimis mihi recenſendi campum aperis, dum talia poſcis. Dies deficeret, ſi omnia, quæ hic curioſa ſunt, referre deberem. Sed ne prorſus nihil dicam, ſciatis, *auri mineras*, non niſi quasdam Elephantum portare, quas tamen eo pretioſiores non procul disſita alia Pyramis

inclu-

incluſas ſervat, ex Hungariæ fodinis maximam partem petitas. *Argenti* amplum hic curioſitatis theſaurum reperi, ſi non copioſum nimis, certè tamen ſatis pretioſum. Sive *argentum rude, coloris rubei* (roth gülden Ertz) poſcas, ſive *candidum in marmore metallico*, (gediegen im weiſſen Spat) ſive pretioſum illud *plumbei coloris argentum*, (Glas-Ertz) ſive *capillare* tricis variis condenſatum, (zehnicht oder Haar-Silber) ſive *ſilici candido*, (im weiſſen Hornſtein) ſive *Cadmiæ metallicæ* (in Kobolt) mixtum, ſive alias quaſcunque ſpecies deſideres, hic luſtranda tibi patent, ea naturæ metallicæ artificia.

Phyſicus. Digna quidem hæc omnia ampliori conſideratione eſſent, ſed dum pondere rerum obruimur, & alia quæſo adde, quæ ſcilicet in reliquis tibi curioſiora viſa.

Metallifoſſor. Non immerito rerum pondere nos obrui dicis, dum alias æris ſpecies poſcis. Vel una *æris*, ſive *cupri*, *minera* hic oſtenſa, hominis robur excedit, quæ venis argenteis mixta è fodinis Neoſolienſibus exciſa eſt. Aliarum è variis orbis partibus huc translatarum recenſio vix locum hic inveniet, niſi forte *placentam æris*, è Sveciæ cavernis erutam conſiderare velimus.

Phyſicus. Non minus certè curioſum eſt *Cuprum* in cruſtatione memorabili in profundo ad Neoſolium antro in aquis ſubterraneis à natura formatum, cujus hic aliquot ſpecimina, ſive ſoleam ferream, ſive crucem Hungaricam duplicatam referentia obſervavi. Sed plura forſan addere paratus eris.

Metallifoſſor. Flos ferri, cujus hic multa, eaque ſatis magna, & elegantia ſpecimina vidi, quam maximè oculos meos pellexit, non modo ob jucundiſſimum naturæ luſum, hic mirabilibus cirris, & tricis luxuriantem, ſed & ob raritatem horum cimeliorum, vix alibi quam in Stiriæ limitibus inveniendorum. Alia *Marcaſitarum, Cadmiæ, Cinnabaris, Sandara-*

daracha, *Æruginis*, aliorumque mineralium jucunda ſpectacula, varias terrarum ſpecies, ferri mineram, miris formis conſpicuam, omniaque reliqua, cum auribus parcendum ſit, oculis potius veſtris relinquo.

Phyſicus. Rectè mones, Amice, forſan enim, quæ nobis jucunda videntur, aliis tædium & moleſtiam creant. Vix tamen tacere poſſum, quod hucusque conſideratum Bibliothecæ ornamentum variis adhuc minutiis abundet, non minus, quam maxima quæque curioſis. Geſtat Metallifoſſor, capiti Elephantis inſidens, in capite non exiguam rerum curioſarum apparatum, imò & circa caput animalis citati quædam Turcica ſpolia ornatûs gratia addita ſunt, contemplatione omnino digna. Inter iſta eminet *libellus* è terra albicante efformatus, quem inepta Judæorum ſuperſtitio curioſum fecit; credit nimirum cæca Gens, corpora Judæorum non niſi in terra ſancta reſurrectura eſſe, hinc alibi ſepultis olim ſubterraneum iter eousque ſuſcipiendum, niſi particulam quandam terræ è ſepulchro Rabbi *Simeonis Jochai*, inter ſanctisſimos habiti, & Hieroſolymis ſepulti, in tumbam ſecum receperint; ex hac autem terra libellus jam citatus conſtat. Adſunt præterea precum Turcicarum volumen, capſulæ argenteæ incluſum, globuli Turcarum precatorii, Amuleta varia, & quæ præ cæteris Curioſorum oculos oblectant, particulæ quædam *lapidis ſcisſilis* & *Amianthi* uſtoriis ſpeculis *Tſcirnhauſianis* ex parte in vitrum converſæ.

Curioſus. Audivi quædam de mirando ignis ſolaris effectu, ſed genuinam illius rationem videre nondum contigit.

Mathematicus. Hanc pace tua paucis declarabo. Præparaverat Illuſtris Vir ſpeculum antea è ſolido ære trium ulnarum diametrum habens, quo per reflexum ſolis radium quælibet naturæ corpora exiguo ſpatio ſive deſtruebat, ſive in vitrum convertebat, ne excepto quidem incombuſtibili hactenus

nus credito Amiantho, cujus hic ſpecimen citatum audivi. Sed poſtquam ſpeculum hoc Cimeliarchio Saxonico illatum eſt, curioſisſimus Inventor, in radio transmiſſo majorem efficaciam quærens, vitra inuſitatæ magnitudinis, arte poliendi prius incognita, præparavit, per quæ ſolares radii in conum uſtorium collecti vires duplo majores prioribus exercent, & quælibet corpora in vitrum convertendo admiranda oculis ſpectacula ſiſtunt. Vidi lintea in globulum vitreum mutata, roſas recentes in globulos vitri viridantis collectos, aliaque inaudita prorſus, & vix, niſi accedente oculorum fide, credibilia.

Curioſus. Digna res eſſet latiori expoſitione; ſed eam commodiori loco, temporique reſervabimus. Tu Amice (ad Nautam) ſine dubio mari asſvetus ſubterraneis ſpeculationibus noſtris tædioſo ſatis ſilentio auſcultaſti. Tempus erit, ut & tu ea, quæ tibi è cimeliis hujus Bibliothecæ familiaria ſunt, nobis exponas.

Nauta. Me ventorum & fluctuum violentia rigidiorem redditum vix aliquid Eruditorum colloquiis conferre poſſe puto. Perluſtravi quidem diuturnis navigationibus Indiæ utriusque littora, nec Septentrionis ſcopuli mihi prorſus incogniti ſunt, vix tamen aliquid inter procellarum ſuſurros me didiciſſe novi, quo delectare Curioſorum aures valerem. Nec aliquid in laudato hactenus Muſeo me deprehendiſſe memini, quod captum meum non ſuperaret, niſi forte *Conchyliorum* genera exciperes, quorum me copiam ſatis magnam pasſim per orbem maritimum collegiſſe, & non ſine delectatione quadam perluſtraſſe fateor.

Curioſus. Idem eſt, quod expeto; vidiſti ſine dubio hic marinarum rerum apparatum quendam, quem à te mihi notiorem reddi præopto.

Nauta. Vidi & in remotis hiſce à mari locis tantum è ſpoliis Oceani collectum fuiſſe miratus ſum. Vix datur ali-

qua Concharum ſpecies, cujus nón hic quædam cuſtodiantur ſpecimina; &, ſive grandiores, ſive minutas ſpectem, utrinque curioſa ſatis adeſſe deprehendi.

Phyſicus. Refer quæſo ex majoribus quædam, quæ tibi curioſiora viſa ſunt.

Nauta. *Buccina* neceſſario initium conſtituent, quarum hic una inuſitatæ magnitudinis, capitis humani ambitum excedens, æque ac aliæ quædam ſtriarum accuratè diſtinctarum, & in gyrum coactarum diſpoſitione, & flavi, fuſci, candidique coloris jucundisſima mixtura ſeſe commendant. *Murices* hic vidi *marmoreos*, *lacteos*, *coracoides*, & *triangulares*, quorum plurimi aliquid habent obſervatione dignum. Quosdam ex *marmoreis* ponderoſiores contemplatus ſum, quorum duo pondere ſuo Conchyliorum morem excedentes, unus ex albo purpuraſcens, jucundisſimo colore oculos alliciunt. De *muricibus tuberoſis*, *aculeatis*, *auritis*, *pentidactylis*, aliisque hic copia non exigua aſſervatis multa verba facere nolo. Vix tamen ex majoribus quicquam oculos magis afficit quam *Nautili*, quos tam in ſtatu ſuo naturali ſtriis fuſcis & albicantibus interſtinctos, quam artifice manu politos & pulcherrimum margaritarum ſplendorem referentes hic inveni.

Mathematicus. Pingunt tyrones artium noſtrarum ſpirales atque cochleares lineas, ſed artifex natura omnem humanæ induſtriæ perfectionem ſuperat, quæ adeò exactè linearum ductus obſervat, ut vix circino illius labores aſſequi valeamus.

Phyſicus. Longè mirabiliora in aliis deprehendemus. Tu Amice alia, quæ in mentem veniunt, adde.

Nauta. *Cochlearum* ſpecies ſatis magnæ, cum ingenti minorum copia hic apparent. Vidi *rugoſas*, & *faſciatas* variorum generum, miratus ſum *cælatas* & *maculoſas*, ſive viridi, ſive atro colore variegatas, & ſplendore ſuo jucundas: ſic & *umbilicatæ*, & *depreſſæ* mira ſtructuræ perfectione placere poſſunt.

Mathe-

Mathematicus. Unam è *cochleis depreſſis*, ut abſolutiſſimum ſpiralis lineæ ſpecimen miratus ſum, tanta faſciarum flavo candidoque colore diſtinctarum aptitudine, tàm exacta ſpirarum proportione elaboratum, ut omnibus artificum laboribus ruborem injicere valeat.

Nauta. Non minor certè eſt *concharum* hic contentarum curioſitas, ex quibus non paucas *faſciatas*, *imbricatas*, *ſtriatas*, *rugoſas* alioque vario decore conſpicuas non ſine jucunditate vidi.

Mathematicus. Inter eas, quas profers *conchas* nihil mirabilius natura præſtitit, quam dum in quibusdam lineis exactè parallelis *notas muſicas* impreſſit. Obſervavi inter hæc cimelia tres muſicas conchas, quarum una tribus, altera quatuor, tertia quinque lineis ornatæ admirandæ jucunditatis ſpectaculum præbent.

Nauta. Concharum venerearum plura & elegantiora quam alibi ſpecimina deprehendi, quarum nonnullæ tygridis maculas imitantur, politaque ſuperficie & ſpeculorum nitorem, & nivis albedinem ſuperant. Taceo alias ſive Arabicæ literaturæ ductus mentientes, ſive alio decore commendabiles. His ſi *aures marinas* hic ad admirationem usque pulchras, *pectinum* varias ſpecies diverſicolori ornatu jucundas, *patellas* ſtriis ſuis commendabiles, *tellinas*, quarum una marini fruticis germen ſpectandum offert, *balanos*, aliaque talia referre deberem vix dies ſufficeret.

Phyſicus. Multa tamen, quantum memini, reſtant, æque ac recenſita, curioſa & minus omittenda.

Nauta. Reſtant omnino, & ſtoliditatis accuſandus eſſem ſi *turbines*, *trochos*, *cylindros*, *ſtrambos*, *purpuras* & *neritas* omitterem. *Turbinum* vix aliqua ſpecies eſt, quæ hic ſeſe non ſiſtat contemplandam, dicam an admirandam; hic *candidos*, *tuberoſos*, *muricatos*, *ſulcatos*, *pentidactylos*, aliosque mira varietate conſpicuos ſpectare licet.

Mathe-

Mathematicus. In his provocare audeo ſubtilisſimum quemcunque Mathematicorum circinum, & exercitatisſimi cujusque artificis tornum, an tale quid producere arte humana ſuſtineant. Mira eſt turbinum majorum circumvolutio, exactisſima propoſitione, & miro gyrorum ordine conſpicua; ſed longè mirabilius in minimis eſt naturæ artificium; *turbines* enim hic conſervantur ſatis copioſi tantæ quidem ſubtilitatis, ut ſpirarum ordinem & proportionem, ſtriarum & tuberculorum exactisſimam diſpoſitionem vix oculus humanus ſine microſcopio aſſequi valeat; qui tamen ſumma dimenſionum perfectione majoribus nullo modò cedunt.

Nauta. Idem naturæ artificium in *neritis* quibusdam obſervandum videtur, quarum unam me cum admiratione vidiſſe memini, faſciis tuberoſis circumcinctam, quarum una coralli rubedinem, altera tuberculos candidos & nigricantes alternatim diſpoſitos oſtentat.

Phyſicus. Mirum eſt, quod citas phœnomenon, ſed domum artificioſam, vix ungvis in pollice noſtro magnitudinem excedentem, inhabitat incola non minus obſervandus, *cancellus* ſcilicet perexiguus, qui hic arefactus intra habitaculum ſuum ſe oſtendit, jucundo certè curioſis oculis ſpectaculo.

Nauta. Nec *purpuræ* ſuo encomio defraudandæ, quarum hic non exigua ſeges mira facie ſe oſtendit. Vidi *purpuras aculeatas*, *triangulares*, *gibboſas*, *clavatas* aliasque non injucundi aſpectus, quas omnes ſpecialius recenſere vereor, ne tædium vobis creem. Sic & in minoribus *Buccinas* copioſiores, *Strombos*, *Cylindros*, & præcipuè *Cylindroidarum* ſvavisſimos colores, *murices* mirè varios, aliaque naturæ ludentis ſpectacula referre vix audeo. Alia tamen marina adſunt curioſis oculis digna, quamvis conchyliorum generi vix annumeranda.

Phy-

Phyſicus. Novi adeſſe quædam, &, ut ea cites, rogo.

Nauta. Vix puto Mathematicorum ſpeculationibus aliquid convenientius eſſe *Echinis*, & *ſtellis marinis* jucundiſſimum hic ſpectaculum præbentibus.

Mathematicus. Vera dicis, & cujuscunque curioſi approbatione confirmanda. Præſtitit hic natura ſingulare, ſibique ferè inuſitatum opus, dum in Pentagonis ludit, quæ alias ſexangularem potius, vel alias figuras affectat. Teſtam *echini marini* hic contemplatus ſum, accuratiſſimo tuberculorum, foraminum & linearum ſerpentinarum ordine ita diſpoſitam, ut in ſummitate in Pentagonum abſolutiſſimum areolæ concurrant; imò & linearum parallelarum in exteriori & interiori ſuperficie multitudo, omniumque partium exacta proportio, ne circino quidem corrigenda, admirationem mereri videbantur. Idem ferè de *ſtellis* dicendum, mirabili figura conſpicuis, quarum hic alioquot ſpecies videndæ. *Hirſutas* tamen omnes ſuperat *ſtella reticulata* ſeu *cancellata* & *tuberoſa* admirando artificio à natura elaborata. Quinque lateribus parabolicis conſtat exactè æqualibus, quorum ſingula decem tuberculis accuratè diviſis ornantur; interior ſuperficies cancellis mirè proportionatis interſtincta, & tuberculis minoribus ritè diſpoſitis ornata omnem humani cultus concinnitatem poſt ſe relinquit.

Nauta. Plura haberem quæ referrem animalium marinorum genera, hic obſervata. *Xiphiam* ſeu piſcem gladiatum, *Rajas*, quarum altera minor in draconis formam efformata, *oſtracium piſcem*, mirè in ſuperficie cancellatum, *hippopotamos*, *crocodilum*, *teſtudines marinas* eleganti teſtarum variegatarum ornatu decoratas, *Aſtacorum* teſtas, & alia multa, quibus tamen defatigatis auribus veſtris gravis eſſe nolo. *Corallium* tamen cujus hic non contemnendas arbuſculas vidi, memoratu dignum erit.

Phyſicus. Rectè judicas, hujus enim ſive ramorum ex-

G cur-

currentium decorem, ſive coloris elegantiam, ſive magnitudinem ſpectes, hic obſervantur ſpecimina quædam oppidò rara & precioſa. Nec albi *ſpuriiq; corallii* arbuſculæ deſunt, criſpis tortuoſisque ramulis conſpicuæ, aliaque multa, quibus abſtinere decet, ne tædioſa nimis recenſio noſtra fiat, nimia rerum multitudine laborans.

Curioſus. Veneror veſtram, quam roganti mihi exhibuiſtis in recenſendo promptitudinem, eamque licet ulterius continuatam, nunquam mihi, rerum harum curioſisſimo, tædioſam fore, ex animo teſtor.

Mathematicus. Inveni capſulis his marinarum rerum conſervationi aptatis, duas intereſſe, quæ *rerum Mathematicarum variam* ſuppellectilem ſervant, mihi quidem ſatis amabilem, vobis verò amici, qui naturalium rerum curioſitatem amplectimini, minimè obtrudendam.

Curioſus. Naturam & Matheſin ſvavi vinculo connecti ſuperiora nos docuerunt; ſed huic conſiderationi aliud tempus deſtinare commodum erit. Unum eſt, quod adhuc ſcire aveo, unde ſcilicet Bibliotheca hæc acquiſiverit tantum naturalium rerum apparatum?

Phyſicus. Idem, qui dimidiam ferè librorum partem, figurarum in æs inciſarum ingentem numerum, & codices quosdam manuſcriptos pictosque ſatis pretioſos huic Muſeo conſecravit, Vir quidam Generoſisſimus & perpetua laude dignus, etiam hunc rerum marinarum theſaurum reliquis cimeliis adjecit, cujus memoriam adhuc recentem grata Sileſiorum Curioſitas, totusque Literatus orbis nunquam interire patientur.

Curioſus. An vero, & mineralium ſupra deſcriptorum pretioſus apparatus ejusdem liberalitati debetur?

Phyſicus. Minimè verò. Alia manus illuſtris & curioſisſima hoc naturæ ſubterraneæ ſpectaculum jucundisſimum huc transpoſuit, quam tacere potius, quam ante diem laudibus

dibus efferre modeſtia & obſequium ſvadent. Et, ſi optimè meritorum laudes poſt mortem decantare convenientius eſt, omnes pii nobiſcum optant, ut Evergetæ hujus laudes publicis encomiis ornare non prius licitum ſit, donec tanta in patriam bona contulerit, quanta eidem conferre intra animum DEO Patriæque deditisſimum ſibi propoſuit.

Curioſus. Conſervet hunc, alioſque quosvis bonarum literarum Mæcenates cœleſtis gratia, eorumque numerum augeat, ut collecti in poſteritatis uſum theſauri non decreſcant, ſed potius quotidianis accesſionibus aucti, aliquando tempus noſtrum non negligentiæ accuſandum, ſed potius ob Eruditionem ſervatam laudandum eſſe, teſtentur. Vobis autem, Viri Eruditisſimi, & in artibus veſtris exercitatisſimi, grates quas poſſum decerno pro grato hoc recenſionis officio mihi præſtito, meque veſtris uſibus quacunque data occaſione lubens offero.

Mathematicus. Perferas quæſo æquo animo noſtros in exiguæ relationis obſequio defectus, noſtrique benevolam memoriam tibi commendatam habe.

Curioſus. Valete, Viri optimi, & porrò, ut ſoletis, artes curioſas promovere pergite.

Phyſicus. Vale.

INTERSCENIUM II.

Faunus, Triton.

Faunus. EXtollis temere laudibus æquora
Et præfers pelagi munera terreis.
Triton. Extollis temerè laudibus abdita
In terræ gremio, quæ tenebris ſuis
Circumſepta jacent; dum mare fervidum
Quæ miranda tenet, carcere liberat,
Et motu asſiduè circumagit vago.

Faunus. Illic firma rigent viſcera rupibus
Telluris; *mineras* hic gerit inclytas,
Illic terra bonis prædita *gemmeis*,
Hic gazisque fluit vena *metallicis.*
Hic *Martis* rigidi fabrica cernitur,
Saturniq; color lividus æſtuat;
Hic ſplendet *Veneris* vultus aheneus,
Aſpectusque *Jovis* ſtanneus emicat.
Hic nunquam ſtabilis *Mercurii* nitor,
Hic *Lunæ* facies candidior nitet,
Et *Phœbi* radius cernitur aureus.
Cryſtalli hic radiat ſplendida puritas,
Illic fulgidior fax *adamantina.*
Non hic *ſardonychis*, non *amethyſtinus*
Terræ ſplendor abeſt; *Jaſpide* nobili
Illic antra nitent; verſicoloribus
Hic ornata latent *marmora* guttulis;
Illic dura *ſilex* condecorat ſpecus.
Vel natura ſuis ludit amœnior
In miris *ſalibus*; ſeu *minium* rubens
Seu *ſulphur* calidum, ſive *bitumina*
Clauſo magna parens collocat in ſinu.
Hic format latices provida fontium;
Hic fundunt ſcatebras flumina limpidas.
Hic Vulcanus atrox ignivomos parat
Sævo ac horriſono murmure vortices.
Quid ſentis? Tumidi plura maris ſinus
Admiranda tenent, an gremium ſoli?
Triton. Admiranda tenent plura maris ſinus
Quam terræ gremium. *Vena metallica*
Nil vitæ retinet; mortua quælibet
Ignavoque ſitu tecta jacent ſolo.
Aſt hic cuncta vigent; hic *animalibus*

Pol-

Pollent innumeris æquora. Corporum
Balænæ nimiâ mole ſuperbiunt.
Ludunt cum properis millia millibus,
Et paſſim ſe agitant agmina *piſcium*.
Quàm multæ ſpecies per mare corporum
Incedunt! Pecudes nec patulum nemus
Tot ſervat; totidem non quoque continet
Diffuſus volucres ambitus aëris,
Quot miras ſpecies æquora nutriunt.
Quid *conchas* referam, mirificum penu?
Hic naturâ ſuâ quid valeat manu
Tentavit. Teretes adſpice *turbines*,
Mirandis ſinubus conſpice *buccinas*
Excultas, rubeo ſangvine *murices*
Ornatos; tenuis candida *nautili*
Ornamenta; vide, quot tibi *purpura*
Formatos variè monſtret aculeos.
Hic natura *trochis* ludit amabilis;
Hic *ſtrombis* oculos ſedula recreat.
Hic format *cochleas* grata cylindricas.
Quid, quæſo, gremio terra capit ſuo,
Quod noſtris ſimiles præſtet imagines?
Faunus. Cunctas terra ſinu divitias tenet.
Huc flectunt homines vota animi ſui,
Huc deſideriis terrea gens ruit.
Auro quid melius? quid pretioſius?
Quid *gemmis* roſeis ſplendidius nitet?
Aſt, hæc terra ſuo continet ambitu.
Triton. *Auro* quid nocuum, quidve magis ciet
Humano generi ſæva pericula?
Extollit ſtolidæ mentis opinio
Gemmarum pretium. Splendidus *unio*,
Quem vilis generat cochlea, quodlibet

Gemmarum ſuperat non proprium decus.
Quid multis referam læve *coralium*?
Quid veſtes *tyrio ſangvine* ſulgidas?
Si certes pretio, vincere terreas
Speluncas pelagus multoties poteſt.
Faunus. Exi, divitias & retine tuas.
Gazas piſciculis diſtribuas tuis.
Theſauros homines anteferunt meos,
Qui norunt pretium, quod valor aureus
Gemmarumque decus conciliant ſibi.
Triton. Exi, ſtultitias & retine tuas.
Nam miranda manus Numinis Enthei
Complet mirificis æquora cultibus.
Fulget quippe DEUS mirus in arduis,
Sed mirabilior fulget in abditis.

INTROITUS III.

Curioſus. Hiſtoricus, Antiquarius, Geographus, Ethicus.

H*iſtoricus.* Ad colloquium tuum vocati, Vir Nobilisſime, nos conſpectui tuo ſiſtimus, audituri, quo obſequiorum genere noſtram tibi inſerviendi promptitudinem declarare debeamus.

Curioſus. Quo majora & difficiliora erunt, quæ à vobis exſpecto officia, eo gratiori animo veſtram excipio præſentiam, Viri honoratisſimi, cumque non tribus, ſed amplioribus verbis res agenda; hinc vobis non diſpliceat mecum hæc ſedilia occupare, meæque curioſitati veſtrâ Eruditione & experientiâ ſatisfacere.

Hiſtoricus. Qua verò re, aut quibus Sermonibus tuam juvare Curioſitatem poterimus, quæ ſine dubio Scientiæ noſtræ Horizontem tranſcendit?

Curio-

Curioſus. Novi veſtram in eo, quod appeto Studiorum genere notitiam, diuturno Exercitio firmatam, hinc jucunda quæque & gratisſima mihi promitto. Innotuit mihi, Viri doctisſimi, quod Bibliothecam Rhedigeranam, quæ in templo Wratislavienſium Eliſabetano aſſervatur, oculis curioſioribus perluſtraveritis, cumque in ea Numismatum copia præ cæteris animum meum affecerit, nec tamen tot rarisſimorum Cimeliorum notitiam aut interpretationem pro voto hauſerim, à Vobis ſtudiorum horum optime gnaris repetitionem eorum, quæ hic curioſiora vobis viſa ſunt, exſpecto, & humaniter expeto.

Antiquarius. Non male ſummum inter curioſa hujus Bibliothecæ locum monetis tribuis, quarum quatuor ferè millia hic cuſtodiri ſedula inquiſitione expertus ſum, ſed harum rerum Expoſitio debita non horarum, ſed multorum dierum labor eſt, quem vix inchoare intra brevis colloquii ſpatium licebit.

Curioſus. Nec omnia, nec plurima, ſed quædam tantum expeto. Novi vos omnes harum rerum ſtudioſos non ſine quadam delectatione in animum revocare poſſe, quæ inter Numismata citata, quam maximè oculos & animum affecerunt. Quod ſi itaque veſtrum animum dulci recordatione quorundam, quæ in mentem venient, paſcere, meque Sermonum veſtrorum auditorem admittere volueritis, curioſitati meæ abunde ſatisfactum erit.

Hiſtoricus. Non nego, me nummos hos in animum revocando mirum quantum delectari, dum veritatem hiſtoricam per Authorum Teſtimonia non ſatis comprobatam, iis certisſimam reddi cerno. Quæ in Scriptorum monumentis legi, hæc cominus quaſi hic intueri licitum eſt, dum antiquorum Heroum, Imperatorum aliorumque celebrium in Orbe Virorum Icones, Symbola, geſta, aliaque notabilia hic perluſtramus. Deſinit antiqui Orbis ſtatus à nobis re-

motior

motior eſſe, dum nummos inſpiciendo illuſtribus quibuscunque Heroum conventibus aut geſtis memorabilibus intereſſe videmur.

Antiquarius. Hinc facile colligendum, quanta animi delectatione me ſtudii hujus recordatio demulceat, qui in nulla re unquam majus, quam in venerabili antiquitatis memoria gaudium quæſivi. Hic priſcos ritus, hic ſolennem antiquorum Pompam, hic non injucunda ſuperſtitionis antiquæ rudera, hic alia ſolis mentibus profanis ſpreta ſpectare & mirari licitum eſt.

Geographus. Nec mihi, qui Orbis antiqvum & recentem ſtatum hucusque mearum partium duxi, exiguam utilitatem Cimelia hæc monetaria præſtare poſſe ſatis deprehendi, cum tot Regionum, tot Urbium, tot populorum memorias nummis impreſſas, ibique meliùs quam in Codicibus antiquorum conſervatas vidi.

Ethicus. Credidi moralium rerum notitiam ſolos Philoſophorum libros, aut ipſius vitæ praxin ſuppeditare, donec ad nummorum contemplationem admiſſus, tot virtutum & vitiorum ibidem ſchemata, tot ſymbolicas Imagines, hominum mores mentiumque motûs emblematice ſiſtentes obſervarem; quæ hic altius mentem penetrare poſſe videntur, dum metallo Hominibus adeò grato impreſſa cernuntur.

Hiſtoricus. Agedum, quæramus Amici, quomodo tàm Fautoris noſtri, quàm proprium animum, numiſmaticæ rei commemoratione oblectare queamus. An Græcorum Nummos præmittere placet?

Antiquarius. Digna quidem omnis Antiquitas veneratione eſt, majora tamen & copioſiora in Romanis habebimus, quæ tempus ſibi depoſcere videntur.

Hiſtoricus. Ut aliquid dicam, non ſine delectatione hic *Philippum* aliquoties in auro & argento, *Alexandrum* in argen-

to

to & ære, *Ptolomæum* in auro, *Lyſimachum* in auro & ære, *Arſinoën* Uxorem in ære, *Demetrium* itidem in ære deprehendi; nec ævi Alexandrini in Literis decus *Ariſtoteles* deeſſe, ære expreſſus. Conſervatur & in ære *Artemiſia* cum Mauſoleo affabre, licet recentiori ævo elaborata; imò & *Mithridates* cum cervo Regum Ponticorum ſymbolo in argento & ære hic invenitur.

Geographus. Plura ego, ſi liceret, referre poſſem, qui hic multarum Græciæ urbium & populorum nummos ſatis curioſos ſpectavi. Præter alios *Athenienſium* nummos, noctuâ notatos, etiam Heroum Athenienſium, *Themiſtoclis* & *Thraſibuli* monumenta exſtant: Videndi hic ſunt *Epheſiorum*, *Theſſalonicenſium*, *Phocenſium*, *Ætolorum*, (quibus forſan & *Timarchi* memoria accenſenda) *Heracleenſium*, *Dyrrhachiorum*, *Apolloniatarum*, *Neapolitanorum*, *Thaſiorum* & è magna Græcia *Thuriorum*, *Syracuſanorum*, *Velienſium* & aliorum Nummi varia antiquorum Symbolorum notabilitate conſpicui.

Hiſtoricus. Quid referendum erit de nummis Romanorum conſularibus, quos hic majori, quam in aliorum Muſeis, copiâ cuſtodiri vidi. Sedulam ſeſe hic præſtitit primorum Bibliothecariorum Induſtria, quæ evolutis Nummorum difficultatibus eosdem ad alphabeticum Familiarum Rom. Ordinem Fulvii Urſini diligentiam ſecuta, diſpoſuit.

Antiquarius. Utinam Tabulas nummorum horum conſervatrices ante oculos ponere liceret, certè, quamvis ſeriem ipſam recenſere minimè placeret, multa tamen ſeſe curioſa offerrent brevi diſcurſu illuſtranda.

Hiſtoricus. In Nummis *Æmiliæ* Familiæ multa mihi curioſa viſa. Rex Arabum *Aretas* è Camelo deſcendens in genuo provolutus & ramum Olivæ porrigens, pacis deſideratæ ſignum, addito ſupra nomine *M. Æmil. Scauri*, in mentem revocat, Arabem ab urbis Hieroſolymitanæ occupatione per *Scaurum Pompeji* Legatum repulſum & ad pacem ada- Joſephus Ant. Ind. Lib. 14. cap. 4.

ctum, ſicque rei à Joſepho recenſitæ fidem facit. Ad eandem familiam ſpectans *Pauli Æmilii* Nummus Trophæum cum adſtante Paulo filiisque, & voce TER exhibens, Triduanum Triumphum de Macedonia occupata mortemque Filiorum Pauli in mentem revocat, Liviumque declarat.

Livius L. 45. c. 40. ſeqq.

Antiquarius. Ad eandem familiam ſpectat curioſus *P. Lepidi* Triumviri Nummus, qui in averſa Parte Puteal *Scribonii Libonis* oſtendit, juſſu Senatus à Libone conditum, ad compenſanda Sacella, quæ in locis fulmine afflatis condi debuerant, ſed ob negligentiam intermiſſa erant.

Geographus. Mihi *Aquilliæ* Familiæ nummus memorabilis viſus, in quo *M. Aquillius* armatus Siciliam Servorum Tumultu rebellem in Terram proſternit, altera autem Nummi facies virtutis caput galeatum offert.

Antiquarius. In Nummis *T. Cariſii* Dea Moneta, & inſtrumenta monetaria antiquitatem non contemnendam oſtentant; imò & Sphynx in ejusdem Nummo alio expreſſa contemplationem meretur. Sic in *Caſſii Longini* Nummo judex calculum in urnam immittens, Virgo Veſtalis in Nummo *C. Clodii* ſedens, Caſtor & Pollux in *Rufi* Triumviri Nummo, Martis ultoris Templum in Nummo *L. Cinnæ*, aliaque plurima ſatis curioſa mihi viſa ſunt.

Geographus. Ad Urbis Romanæ faciem declarandam ſpectat *C. Conſidii Noniani* Nummus, in quo Veneris Erycinæ Templum ad portam Collinam in colli elatiori poſitum, cum Muri Romani parte, & ipſa porta Collina, eleganti artificio exhibetur.

Ethicus. Mihi maxime placuit in *M. Cordii Rufi* Nummo Cupido alatus natanti Delphino inſidens eumque fræno regens, quo emblemate ad vim amoris exprimendam vix quicquam aptius eſſet.

Hiſtoricus. Vix aliquis Sculpturæ artificio commendabilior eſt Nummo *Q. Fabii Maximi*, cujus calvi ſenis caput & in

in averſa 5. Faſces, in memoriam Tarenti receptæ poſiti, ſpe-ctari merentur. Sic & libertatis caput in Familiæ Juniæ Nummo & in averſa *L. Jun. Brutus* cum 3. Sociis ad Reges urbe pellendos properans ſpectacula ſunt antiquarum Hiſtoriarum amatoribus ſatis jucunda.

Antiquarius. Me inter ea alia delectarunt Dianæ Epheſiæ elegantisſimum Simulacrum in *L. Hoſtilii* Nummo; Cancelli Comitiorum, cum ſuffragiorum Ciſta in nummo *P. Nervæ;* Ulyſſes pileatus, cum cane Homerico, à quo agnitus dicitur, ad *Mamiliæ* Gentis Originem indicandam, Nummo impreſſus; Ceres ſedens cum annotato Cerealium Ludorum initio, à *C. Memmio* facto; faſces in *C. Carbonis* elegantisſimo nummo optime expresſi; Romulus & Remus à Lupa nutriti ſub ficu ruminali, cui picus Martius inſidet, & Fauſtulus Paſtor adſtat, in *S. Pompeji* Nummo, aliaque talia mihi aliisque antiquitatis Amatoribus non ingrata eſſe poſſunt.

Geographus. Mihi aquæ Martiæ aquæ ductus cum *Anci Martii* effigie in *Philippi Martii* nummo arriſit, & Jugum Boum, Coloniam forte Eporædianam à *C. Mario* Juniore deductam indicans, imò & Cancelli Comitiorum in foro Romano, cum Veneris Cloacinæ memoria, & viris ſuffragia in urnam conjicientibus, in quodam *Musſidii Longi* nummo me haud parum delectavit.

Hiſtoricus. Me rerum geſtarum memoriis inhianti *C. Marii* torva facies & trophæum de Cimbrica Victoria erectum delectarunt, & *Bacchius* Judæus, Arabiæ Regulus, ad Cameli pedes genubus flexis Olivam porrigens finem facit, eundem ab *A. Plautio* Pompeji legato, à quo hic nummus cuſus, ſuperatum eſſe, quamvis rem hanc Hiſtoricorum monumenta prorſus taceant.

Antiquarius. Sacra Romana à Numa Pompilio inſtituta egregie Nummus *L. Pomponii Molonis* exprimit, ubi vir Capram ad Junonis aram, cui augur lituum tenens adſtat,

H 2 addu-

adducit, Numæ nomine ſubſcripto. Varia Sacra Ludorum Secularium *A. Poſthumii* Nummi exprimunt, quæ ſpecialius repetere brevitatis cauſa nolo. Bacchi Sacra in *Caji Vibii* Nummo optimè delineantur, ubi Tigris pedibus anterioribus aram conſcendit, cui Larva & Thyrſus adjacent; Mater DEUM Cybele Leonibus vecta in *M. Volteji* nummo, Aruſpex ceremoniali Scientia Lupæ, Romuli & Remi nutrici, asſidens, duasque aves advolantes obſervans in incertæ Familiæ nummo, aliaque plurima notatu digna copioſiora ſunt, quam quod hic vel ſolo nomine adduci queant.

Hiſtoricus. Dedimus leve quoddam nummorum Conſularium Specimen, & ex quadringentis non niſi paucisſimos, qui ſeſe ſponte quaſi obtulerunt, adduximus: Si de Serratis bigatisque olim Germanis antiquis, teſte Tacito, unicè æſtimatis, hic copioſè ſatis aſſervatis, rebusque aliis curioſis debito modo diſſerere deberemus, vix dies ſufficeret.

Curioſus. Jucunda fuêre quæ dediſtis, Viri Optimi, & à me grato animo excepta. Addite jam, niſi grave erit, quæ in Rom. Imperatorum Nummis curioſa inveniſtis, quos hic non exigua copia adeſſe memini.

Hiſtoricus. Latisſimum nobis aperis diſſerendi campum, Vir nobilisſime, & rem poſcis, nec omninò tacendam, nec ſine curâ dicendam. Difficile erit in tanta rerum curioſisſimarum ſupellectile, compendium ſectari, & ſine detrimento rem ubique optimam in Epitomen redigere. Agamus tamen, quod jubes, & ex multis quædam adducamus. Non exiguus certè eſt Imperatorum ex Auro, Argento & ære numerus, qui ab ipſo *Julio Cæſare* cœptus per 4. Secula extenditur, & paulò pòſt *Theodoſium M.* deſinit, paucis quibusdam ultra 4. Seculum additis. Non ſeriem recenſere par erit, cuilibet erudito notam; hoc tantum citò, paucos ex Imperatorum ordine deeſſe, imò & rariores *Othonis* Nummos in Argen-

gento & ære, Tyrannorum item tertii Seculi, *Poſthumorum*, *Tetricorum*, *Victorini*, *Carauſii*, aliorumque hic reperiri numismata. Sic & *Auguſtarum* in nummis exiſtentium paucæ deſunt, quarum plurimas rarioribus annumerare curioſi ſolent. Maxima verò in averſis faciebus curioſitas eſt, quam vobis, Amici, eruendam relinquo, ea tamen quæ mearum partium erunt, ſuperadditurus.

Antiquarius. Vel ſola rerum notabilium nomina ſufficient ad tædium excitandum. Ne tamen officio meo deeſſe videar, ex ingenti numero pauca recenſebo. Antiquam Gentilium Religionem ferè totam è nummis his explicari poſſe ſatis deprehendi. *Jovis* tot hic Simulacra proſtant, ut vix plura deſiderare poſſes. *Jupiter Conſervator* in Domitiani, Alexandri Severi & Gordiani, *Jupiter Cuſtos* in Neronis & Veſpaſiani, *Salutis defenſor* in Sept. Severi, *Propugnator* in Alexandri Severi, *Olympicus* in L. Aurel. Veri, *Stator* in Gordiani, *Victor* in Domitiani nummis exhibetur. *Apollinis* variæ effigies in Auguſti, Antonini Pii, & Caracallæ Numismatibus ſpectantur, hujusque filium *Æſculapium* Caracallæ nummi tenent. *Neptunum* Auguſtus & Septimius Severus ſuis, *Mercurium* Hadrianus Antinoi Nummis inſculpi curarunt. *Martis* tot hic ſimulacra ſive ſolo, ſive *Gradivi*, *Ultoris*, *Victoris* nomine inſignita, ut nummos recenſere tædioſum eſſet. *Bacchum* cum *Hercule* elegantisſimus, ſatisque rarus Sept. Severi Nummus ſiſtit; *Herculem* ſolum multi, peculiari verò Elegantia Trajanus & Hadrianus exhibent. *Serapis* in eleganti Caracallæ nummo, *Sol DEUS* in Heliogabali, *Genius* in Neronis Veſpaſiani & Maximini numismatibus apparent. Quid de Deabus dicendum, quarum hic copioſisſima Simulacra ſpectanda? *Cybele*, ſupra in Conſularibus citata, hic in elegantisſimo Juliæ, Severi uxoris, nummo ſiſtitur. *Junonis* Icones hic copioſæ, ſive ſolo, ſive *Monetæ* aut *Reginæ* nomine addito videntur; Sed curioſior eſt *Punica Juno* Leonibus vecta, in Sept. Severi num-

nummo expreſſa. *Venus* vario habitu ſeſe ſpectandam præbet, jam *cœleſtis*, jam *felix*, jam *genetrix*, jam *victrix* dicta, vel 20 aut ulterius nummis impreſſa; *Palladem* 10 diverſi nummi exhibent, haſta, clypeo & noctua ſua inſtructam; imò exigua *Palladiola* copioſisſima videntur. *Cererem* ſpicas gerentem, vel face *Proſerpinam* quærentem, Claudii, Neronis & aliorum monetæ continent. *Diana venatrix* in Hadriani, *Lucifera* in Juliæ Severi nummis exſtat. *Veſtam* Caji & Veſpaſiani, Templum *Veſtæ* Neronis nummi tenent. *Hebe ſive juventus* in Aurelii Cæſaris, *Fortuna* & *Victoria* ut Deæ in copioſisſimis plurimorum Nummis videntur. Rerum ad Religionem ſpectantium hic tantus apparatus eſt, ut quid primo vitem, vix conſtare posſit. *Templa* Deorum varia eleganti ſtructura in nummis expreſſa, *Aræ* ſive Solæ, ſeu Jovis fulmine inſtructæ; *Tripus* ſive *Cortina Delphica* cum cornice & Delphino Apollini ſacris, in nummis præcipuè Vitellii & Domitiani, *Caduceus Mercurii* pasſim obvius, *Pegaſus* in Antinoi præcipuè nummo conſpicuus, *Sacrificia* varia, totum ſacrificandi ritum ſcitè exhibentia præcipuè in Caji & Fauſtinæ junioris elegantisſimis nummis; *Signa Pontificalia*, *albogalerus*, *aſpergillum Securis capeduncula* in Cæſaris præcipuè Nummis æreis; *Signa Auguralia Lituus*, *guttus* cum *aſpergillo* & *capeduncula* in Cæſaris & Marci nummis, aliaque plurima, amplam conſiderationem merentur. Quæ ad *conſecrationem* ſive *Apotheoſin* ſpectant, hic ad nauſeam apparent; *rogi* eleganter ſtructi, ut Ælii & Antoninorum, pii & Marci; *Apotheoſis* Auguſti rara & curioſisſima, *Carpenta* ſive *Thenſæ* in Auguſtarum Liviæ ſcilicet & Agrippinæ conſecratione, *Aquilæ*, Deitatem ſignificantes & alia non pauca. Nihil dicam de aliis Imperii & Victoriarum ornamentis, *faſcibus*, *ſignis militaribus*, *Labaris*, *Haſtis*, *Clypeis votivis*, *coronis* variis, *apertis*, *Laureis*, *radiatis*, *quernis* aliisque; nihil de *triumphalibus ornamentis*, *trophæis* curioſisſimis, *bigis quadrigisq́; triumphalibus*, nihil itidem de

de publicarum Solennitatum memoriis, *Sellis curulibus, congiariis* & *ſuffimentis populo datis*, quæ præcipuè in Neronis, Domitiani, Nervæ, Hadriani & Antonini Pii nummis apparent; Hæc autem omnia aliaque multa non niſi tædioſa demum vobis ob nimiam copiam reddi poſſunt.

Hiſtoricus. Si ego me variis rerum geſtarum monumentis hic expresſis immitterem, dies certè priùs, quam recenſio mea deficeret. Totus nummorum apparatus nil niſi Hiſtoria eſt, nec quicquam hic videndum, quod non aliquam Hiſtoriæ partem declaret. Hic *Quindecim viri ſacris faciendis, Frumento Præfecti, Triumviri monetales, Duumviri municipales, Quæſtores* imò & *Triumviri Reipublicæ conſtituendæ* in nummis notati, nos ſtatûs & mutationum Reipublicæ Rom. admonent; quorſum & ipſa *tribunitia poteſtas* ſpectat, ubique in Imperatorum nummis obvia. Publicarum Solennitatum monumenta habemus in *ludis quinquennalibus, decennalibus, ſecularibus* hic egregiè expresſis; in *votis publicis, luſtrationibus, Decurſionibus, donativis* aliisque rebus copioſa elegantia hic conſpicuis. Quot quæſo hic *allocutiones cohortium, Profectiones* & *Adventûs* auguſtorum, *Trophæa, arcusq; Triumphales* erecti, aliaque victoriarum monumenta apparent? *Jani templum* clauſum de pace reſtituta teſtatur, *adoptiones* curam pro Succeſſoribus Imperatorum, *Propago Imperii* in filiis lætitiam oſtendunt, aliaque & curioſa & Hiſtorico ſcitu neceſſaria hic occurrunt, ut nunquam dicendi finem invenirem, niſi aurium veſtrarum patientia abuti inſulſum eſſet.

Geographus. Non pauciora me hic obſervaſſe credatis Geographiam ſive etiam Topographiam juvantia, ex quibus non exiguam delectationem hauſi. *Roma* ipſa ſub decora fœminæ armatæ ſpecie ſe ſæpisſime conſpiciendam præbet, quam & *reſurgentem* Veſpaſiani, *ſacrificantem* Commodi nummi exhibent. Ex ornamentis Urbis Romanæ *Coliſeum* ſive *Amphitheatrum* in Veſpaſiani, *Circus* in Caracallæ nummis, *Colu-*

Columnæ tàm in Trajani, quàm Antonini Pii, *Aquæ ductûs* in Trajani, *Pons Ælius* in Hadriani, imò ipſe *Portus Oſtienſis* in elegantisſimo Neronis nummo exhibentur. Huc & *Tiberis* ſpectat *Portui Oſtienſi* ſub Simulacro Senis additus, *via* itidem *Appia* à Trajano reſtituta, aliaque quæ brevitatis cauſa omitto. Ex aliis Orbis terrarum fluviis, *Nilus*, Crocodilo & Hippopotamo ſignatus, in nummo Hadriani, & *Danubius* à Trajano ponte ſubactus exhibentur. Copioſam *Coloniarum* deductionem Boum Juga pasſim in nummis occurrentia deſignant, ex quibus variæ ſpeciatim indicantur, ut *Calagurris Julia* in Tiberii, *Nemauſus* in vexato illo Auguſti nummo, in quo verba dimidiata COL NEM? Crocodylo Palmæ alligato adſcripta, communis Error diu legit; colligavit Nemo: cum tamen expreſſe ſatis *Colonia Nemauſienſis* denotetur. Forſan & *Diana Venatria* in Hadriani nummis Coloniam, Hadriani in Myſia, *Septa Venatica* dictam, denotat. Regiones orbis deſignantia ſimulacra hic copioſè ſatis inveniuntur; *Oriens* capite crinito & radiato, & *Africa* Elephantis proboſcide vittata, Scorpionemque gerens, in Hadriani Nummis exſtant; *Ægyptum* cum Siſtro & Ibi, *Mauretaniam* Eqvum ducentem, idem Hadrianus exhibuit; *Judæam* ſub Palma lugentem Veſpaſianus, *Cappadociam* rupem & Vexillum gerentem Hadrianus ſiſtunt; *Achajam* urceolo & palmæ ramo inſignitam Hadrianus è terra elevat, *Daciam* verò arcu fracto triſtem Trajanus exhibet. *Italia* turrito capite in Antonini Pii & aliorum nummis globo inſidet; *Sicilia* per Neptunum acroſtolium gerentem in nummo Auguſti deſignatur; *Germania* in Domitiani nummo, ſcuto inſidens, ſagittâ fractâ luget, *Galliam* & *Hiſpaniam* depreſſas è terra elevat & reſtituit Hadrianus, *Pannonia* cornu copiæ gerens L. Ælio ſedenti Palladiolum ſive Salutem ſuam tribuit; *Britanniam* haſtatam & clypeatam Hadrianus oſtendit. Ex urbibus ſola quidem, præter *Romam Alexandria*, ſpicis fertilem ubertatem indicans in Hadriani num-

nummo apparet, indicantur tamen paſſim *Delphi* per Delphinum Tripodi impoſitum, *Carthago* per leonibus vectam Junonem, aliæ initialibus literis, quarum officinæ monetariæ varios nummos ad nos miſerunt; in quem cenſum præcipuè *Conſtantinopolis*, *Antiochia*, *Lugdunum*, *Treviri* aliæque veniunt. Populorum præſertim devictorum copioſa hic memoria eſt. Non prolixè diſſeram de *Expeditionibus Germanicis* hic expresſis Domitiani, Trajani, Marci, Caracallæ; *Parthicis* Auguſti, Trajani, Marci, Sept. Severi, Caracallæ, Opilii Macrini; *Arabicâ* Trajani; *Britannicis* Claudii, Commodi & Caracallæ; *Marcomannicâ* & *Sarmaticâ* Marci, aliisque; Memorabilia tamen ſunt *ſigna* tàm à Parthis, quàm Germanis *recepta* in Auguſti & Caji Cæſaris nummis; & *Armeniis* Rex datus M. Aurelius Soæmus in Curioſisſimo L. Aurel. Veri nummo exhibitus, præ cæteris Spectatoris curioſi oculos demulcet. Taceo alia, ne nimia copia auribus veſtris gravis ſim.

Ethicus. Si multa ſunt, quæ ſtudiis veſtris convenientia vobis arriſerunt, nec minora me hic deprehendiſſe ſciatis, ad uſum moralem ſive Emblematicum ſpectantia. Ut ea præmittam, quæ ad humanæ felicitatis augmenta ſpectant, quot non proſperitatis Symbola hic obſervanda erunt? *Fortuna* gubernaculo inſtructa & cornu copiæ, in plurimorum Imperatorum nummis videtur, quam *reducem* multi, *obſequentem* ſibi ſolus Antonius Pius in eleganti nummo exhibuit. *Felicitas* caduceum & cornu copiæ tenens paſſim obvia eſt, imò Nummi quidam *felicitatem temporum*, alii *Seculi*, alii *publicam* vocant; *ſuam felicitatem* Auguſtus Capricorno, Cornu copiæ in tergo gerente ſcitè quidem, ſed ſuperſtitioſè expresſit. *Bonus eventus* patellam & ſpicas gerens, *Hilaritas* velum Capitis præ gaudio attollens; *Lætitia* per Juvenem ſpicas, & puellam globum gerentes, qui ſe invicem amplectuntur, in Pii Nummo deſignata; *Salus* pateram gerens, copio-

ſisſimis Nummis impoſita, *ſecuritas* haſtata & cubito innixa ad aram quieſcens, *Tranquillitas* gubernaculum & ſpicas tenens, harumque omnium gubernatrix *Providentia*, globum ſuppoſitum Sceptro protegens, elegantia ſanè ſpectacula ſiſtunt, hic quidem ſæpisſimè repetita. His jungi merentur variæ felicitatis cauſæ, *Pax*, rerum optima, nummis ſatis numeroſis impoſita, ramum Olivæ & Caduceum portans, cujus ſe *fundatorem* Sept. Severus in quodam nummo vocat; *Libertas*, Pileum manu porrigens; *Honor*, Lauri ramo ornatus; *Annona* abundans ſive Cereris ſimulacro, ſeu calatho frugibus pleno deſignata, *fœcunditas*, infantulis cincta, aliaque varia publicam felicitatem juvantia; imò ipſa *ſpes* creberrime apparens, herbam trium foliorum, primum ſcil. plantarum germen oſtendit. *Virtus*, mulieris armatæ effigie ſe etiam creberrimam exhibet, longam filiarum ſeriem ſecum ducens. *Pietas* Thura igni injiciens, *Æquitas* Cornu copiæ & bilancem geſtans, *Juſtitia* pateràm baculumque tenens, *fides* jam *publica*, jam *militum*, jam *Exercituum* dicta, mox Cornu copiæ & pateram, jam ſigna militaria monſtrans, *Concordia* manibus junctis plurimum deſignata, *Amor mutuus*, eodem ſigno expreſſus, *Clementia* lauri ramo & haſta inſtructa, *Indulgentia* manum expanſam porrigens, *Liberalitas* Cornu copiæ effundens, *Conſtantia* galeata & haſtata, indicem verſus faciem propriam dirigens, *Pudicitia* peplum fronti obtendens aliaque Virtutum Simulacra mentem miris modis delectant. Nec tacere poſſum monitum Auguſti, *feſtina lente*, Emblemate eleganti in nummis Veſpaſiani expreſſum, ubi Delphinus, celeritatis ſignum, anchoræ circumvolutus à veloci curſu detinetur. Ipſa *Æternitas*, ut in hac finem dicendi faciam, Solem dextra, ſiniſtra Lunam gerens, non inelegans Emblema ſiſtit.

Hiſtoricus. Prolixi fuimus, & pauca tamen è tanta rerum multitudine diximus, quæ ut æqui bonique conſulas, humiliter rogamus.

Curio-

Curioſus. Gratisſima quælibet fuere, & exſpectationi meæ exactè reſpondentia. Nonnè verò & hic recentiorum quidam nummi aſſervantur?

Hiſtoricus. Aſſervantur quidem & aurei, & argentei, & ærei quidam, notatu ex parte & commemoratione digni, ſed antecedentium multitudo forſan aciem intentionis abrupit. Vix aliquid citare ſuſtineo, dum plura ſemper ſe dictu-ro commendant; antiquis itaque ut contentus ſis rogo; recentiorum recenſioni alia forſan hora commodior erit.

Curioſus. Non nimium poſtulando gravis eſſe benevolentiæ veſtræ volo. Unum reſtat, cujus notitiam exopto; cui ſcilicet totus hic nummorum Theſaurus debeatur?

Hiſtoricus. Thomæ Rehdigero, Literatæ Nobilitatis ſuperiori Seculo Principi, cujus elogia anguſtum hoc temporis punctum non patitur. Hujus utinam omnia præſto eſſent nummorum cimelia, forſan plurimos aliorum Theſauros provocare poſſent. Sed, proh dolor! maxima eorundem optimaque pars immedicabili diſpendio in manus furtivas, vivente adhuc Nobilisſimo Collectore, delapſa & ablata eſt. An non poſt illius mortem, antequam conclavi, quo jam asſervantur, inferrentur, idem fatum denuò experti ſint, tacere volo. Nihilominus placuit ante 20 ferè annos Viro curioſisſimæ Eruditionis Johanni Danieli Majori deſiderium, ſuum de reſiduis hiſce nummis bono publico non invidendis, publico ſcripto teſtari.

Curioſus. Optarem certè ut grato colloquio veſtro diutius frui liceret, tot rebus notabilibus referto; ſed dum adhuc alia ſunt, quæ me vocant, inter mille pro benevolâ recenſione veſtrâ gratiarum actiones, vobis valedico.

Geographus. Vale, Vir nobilisſime, & ſi quid officiorum porrò noſtræ poteſtatis erit, nos mandatis & favore tuo dignos judica.

Interscenium III.

Avaritia, Antiquitas.

Avaritia. PRodi, fœmina prodiga,
Quæ conamine perdito
Seducens hominum greges,
Infers pauperiem malam!
Quid tandem veteres juvat
Tanto quærere nummulos
Conatu? quid inutiles
Hos diſponere capſulis
Theſauros, oculis tuis
Atque inſiſtere ſedulis
Iſtis rebus inanibus,
Te Tandem ſtolidam juvat?
Antiquitas. Si ſcires mea gaudia
Queis ſuffundor, amabili
Inſiſtens ſtudio, meis
Quæ Nummos Veteres tenent
Ciſtis, non vitio mihi
Hæc conamina verteres,
Sed curis potiùs meis,
His intenta laboribus,
Ferres auxilium tuis.
Avaritia. Stulti pectoris apage
Hæc deliria, quæ tibi
Mentis ſvadet ineptia!
Dic, decepta, quid utile
Dic, quid præſtet amabile
Hoc vanum ſtudium tibi?

Antiquitas. Interſum quaſi fortibus
Heroum agminibus, videns
Excelſas facies, decus
Queis olim ſtetit arduum
Terrarum. Video truces
Armorum cumulos; ſimul
Quas victoria ſuggerit
Lauros, & venerabilem
Priſci temporis Ordinem.
Illic Relligio ſuos
Ritûs ethnica detegit;
Hic ſtant præmia fortium
Factorum; rogus inclyta
Flammis corpora deſtruens,
Haſtæ, ſignaque militum.
Hic virtutibus arduis
Aptatur proprium decus;
Hic annona benignior,
Hic felicia tempora,
Hic fortuna redux, ſuum
Vultum monſtrat amabilem.
Quin priſcum decus urbium,
Terrarum varius nitor,
Vis inducta Coloniis,
Apparent. Penus integra
Quam priſcæ hiſtoriæ tenent,
Nummis clarior emicat.
Avaritia. Heu! quam concita rideo
Vani pectoris impetum!
Quorſum hæc omnia tendere
Dices? Dum veterum rogos,
Et molimina reprobæ
Gentis perſpicis ethnicæ,

Quod tandem tibi commodum
Ex his colligis auſibus?
Seu Spectacula noveris
Priſcæ ſplendida gloriæ,
Sive hæc omnia neſcias;
Dic, quos Terrigenis ea
Uſus, vel nocumenta dent?

Antiquitas. Uſus ſcilicet inclytos
Obſervat ſacra veritas;
Quæ Scriptoribus haud ſatis
Confirmata, venuſtior
Nummorum excolitur fide.

Avaritia. Nonne hæc utilibus pudet
Accenſere laboribus?
Quid mentem hoc agitet meam,
Seu certisſima veritas,
Seu mendacia callida
Scriptorum teneant libros?
Arcas ſi modo plurimis
Nummis ritè repleverim;
Hæc eſt optima Veritas.
Sed dicam, quid inutile
Hoc præſtet ſtudium tibi.
Perdis neſcia nummulos
Dum nummis inhias nimis,
Dum tanto pretio tibi
Quæris priſca numismata,
Et perdis pretium tuum,
Et tempus, quod ad utiles
Nummos rectius admoves.
Quid gazæ modo Carceri
Incluſæ tibi proderunt?
Non des ſtulta, diutius

His

His deſideriis locum.
Sed conjunge numiſmata
Quæ priſci tibi temporis
Svaſit colligere impetus,
Et cunċta aurifabris meis
Imponenda lebetibus
Tradas; ſive recentibus
Commutanda Numiſmatis,
His, qui cudere Nummulos
Sveverunt, dare mox velis.
Sic ad fœnora quælibet
Si quæſita locaveris,
Laudans conſilium meum,
Cernes commoda maxima

Antiquitas. I, cum conſilio tuo!
Orbis perniciem malam
Doċti callida ſuggeris.
Cultæ, prava, Scientiæ
Totum perdere vis decus.
Optas barbara barbarum
Introducere Seculum.

Avaritia. Fruſtra te ſtolidam meis
Sic conatibus inſtruo.
Sumas pauperiem tibi;
Haud digna es melioribus.
Hoſtem ne fore fervidam
Noris perpetuam tibi.
Cedas fœmina, peċtoris
Quam vecordia poſſidet.
Quod tanto ſtudio petis
Nunquam, dum potero, gravi
Niſu perdere deſinam.

In-

Introitus IV.

Curioſus, Theologus, Politicus, Medicus, Hiſtoricus, Philologus, Typographus, Bibliopegus.

C*urioſus.* Satisfeciſtisne deſiderio meo, boni Viri, & in Bibliotheca Eliſabetana artium veſtrarum cimelia perluſtraſtis?

Typographus. Satisfecimus, Patrone, & theſaurum rerum memorabilium exſpectatione noſtra majorem ibi invenimus, omniaque, quæ captum noſtrum non ſuperant, quantum licebat, inquiſivimus.

Curioſus. Quid itaque tibi videbatur de artis typographicæ ſpeciminibus hic inventis?

Typographus. Mirabar tantam characterum diverſitatem, artisque noſtræ incunabula, incrementa, ſummamque demum perfectionem non ſine gaudio deprehendebam. Vidi antiquisſimam typorum ſimplicitatem, quibus majores literæ non niſi calamo addi poterant, quique Monachorum ſcribendi methodum imitantes tàm characteris æqualitate nimia, quàm diſtinctionum defectu, & abbreviationum moleſtia Lectori tædium creant. Nec tamen omnia Seculi XVti monumenta his defectibus laborare vidi, ſed pro artificum varietate etiam characteres varios deprehendi. Biblia inſpexi Italica, duobus voluminibus ſat magnis comprehenſa, Venetiis Anno 1471 membranis purisſimis impreſſa, quibus quidem majores literæ, tituliqve pro more ævi deſunt, minutus tamen character adeò purus, adeò diſtinctus & elegans eſt, ut multos noſtri temporis typos ſuperare mihi videatur. Nec nomina ſua, niſi rarius, antiquiores typographi addiderunt; in tanta ſcilicet officinarum paucitate vix neces-

neceſſarium ducebant, hoc, quod fama ſatis divulgabat, chartæ imprimere. Meliores characteres redditos *Aldi Manutii* Veneti opera deprehendi, cujus induſtria excitati Baſileenſes inſignes arti profectus dedere. Sed ſumma omnino laus *Stephanis* Pariſienſibus debetur, qui induſtria hucusque inimitabili tantam arti perfectionem dedere, ut à poſteris vix quicquam addi potuerit. Græcus præcipuè character, qui manuſcriptorum XVti Seculi imitatione ſatis diſtortus erat, quemque *Aldus* Venetiis, *Junta* Florentiæ, *Ant. Bladus* & alii Romæ correctum quidem non tamen elegantem reddiderunt, Henrici Stephani accuratisſima ſedulitate aliam prorſus faciem induit, cujus Poëtæ Græci, conjunctim editi, Xenophon, aliaque plurima Græcorum opera tantam quidem venuſtatem oſtendunt, quantam vel unquam artis perfectio ſperare potuit. Non hic de ulteriori artis progreſſu, & officinarum *Wecheliana* Francofurti, *Comeliniana* Heidelbergæ, *Plantiniana* Antwerpiæ, & aliarum laudabili in juvanda typographia conatu multa referam; plurima enim *Stephanis* deberi, eorumque veſtigia legentibus quædam ſuperaddere, non adeò difficile fuiſſe, quilibet mecum fatebitur. In mentem tamen venit mira characteris ſingularitas, quæ circa medium Superioris Seculi *Ruberto Granzono* Lugduni in mentem veniebat. Hic ne laudis *Stephanorum* imitator modo, ſed & novarum rerum inventor diceretur, characterem impreſſum, & calamo exaratum, non diverſum eſſe debere exiſtimabat, eumque in finem formas, communem Gallicè ſcribendi modum exprimentes, ipſe elaborabat, hisque ad Latina applicatis, Anno 1558 Philippi Gvalteri Alexandreidos Libros, mox & alia imprimebat, hacque inventione, à Rob.Conſtantino in præfatione præmiſsâ commendata, mirum quantum ſibi placebat. Sed mirum hoc inſtitutum aliorum imitatio minimè comprobavit.

Curioſus. Noſti ſine dubio Belgarum, Germanorum & Italorum de typographiæ inventione certamina; an verò & hic aliquid ad rei certitudinem pertinens inveniſti?

Typographus. Utique inveni; Germanis, & quidem Moguntienſibus hanc inventionis gloriam deberi ſufficientia hic comprobant teſtimonia. Præter alia artis adhuc novæ monumenta citari meretur Bibliorum Latinorum codex, in cujus fine legitur: *Præſens hoc opus præclariſſimum alma in urbe Maguntina inclytæ nationis Germanicæ, quàm DEI clementia, tàm alti ingenii lumine, donoq; gratuito cæteris terrarum nationibus præferre, illuſtrareq; dignata eſt, artificioſa quadam adinventione imprimendi ſeu characterizandi absque ulla calami exaratione ſic effigiatum, & ad Euſebiam DEI induſtriè conſummatum per Petrum Schoiffer de Gernsheim Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſecundo; in vigilia Matthiæ Apoſtoli.* Hoc, quamvis domeſticum dici poſſit teſtimonium, vix tamen credibile eſt, auſum fuiſſe Petrum hunc in re adeò recenti, & in omnium oculis verſanti, ambitioſè mentiri, nec hoc aliis quieſcentibus impunè feciſſet.

Curioſus. Refer quæſo, ſi quid aliàs curioſi, quod artem tuam concernit, hic inveniſti.

Typographus. Multa certè hic animum meum oblectarunt. Pretioſa volumina, ubi textus membranis, ſeu chartæ pergamenæ impreſſus, hic non pauca reperiuntur. Præter Biblia Italica, jam laudata, vidi ingens volumen membranaceum Moguntiaci Anno 1470 per *Petrum Shefferum* impreſſum, quod B. Hieronymi Epiſtolas continet; ſic Ptolomæi Coſmographiam à *Nicolao Hahn*, ſeu Gallo, qui primus Typographiam Ialiæ intulit, Romæ Anno 1482 membranis impreſſam, tabulisque coloribus interſtinctis ornatam, miratus ſum. Eandem laudem merentur Geſta Maximiliani I. ſub nomine Theurdanck à *Joh. Schönsbergero* Norimbergæ An. 1517 membranis impreſſa, cui operi venuſtatem præter chara-

cteris

ſteris nitorem, & amplitudinem conciliant figuræ copioſæ, fortisſima æque ac artificioſa manu ipſius Maximiliani I. ſatis ſcitè lignis inciſæ. Xenophon membranaceus ab *Henrico Stephano* Anno 1561 impreſſus abſolutisſimum Græci characteris ſpecimen eſt; Taceo alia ejusdem ferè dignitatis, ne tibi tædio ſim.

Curioſus. Adde, ſi quid habes, me enim harum rerum curioſum ſcias.

Typographus. Quid me arti huic deditum magis delectaret, quam prima Typographiæ non ſpecimina modo, ſed & primos, vel laudatisſimos alios aſſertores & propagatores cognoſcere, quos dum in animum revoco, ob hodiernam artis noſtræ vilitatem triſtitia mentem ſubit. Olim non niſi eruditisſimi quique Typographi erant, & nemo, niſi egregiè doctus ad adyta præſtantisſimæ artis admittebatur; prout & Wratislavia Typographiam ſuam non plebejo, aut à Muſis alieno homini, ſed *Andreæ Winckle*ro debet, Rectori Eliſabetano, & primo Wratislavienſium Typographo, viro quinquaginta & trium annorum labore de hac Schola optimè merito. Jam, quod dolendum, qui præter legere vix quicquam didicit, arti huic tractandæ ſe ſatis aptum putat. Sed faceſſant inutiles querelæ. Me præcipuè ſigna Typographorum celebrium libris impreſſa delectarunt, quorum ingentem, ſi licitum eſſet, farraginem referrem. *Petri Schefferi* Scutula rubra, de ramo ſuſpenſa, Anchora *Aldi*, Lilium *Juntæ*, Palma *Iſingrinii*, vel *Gvarini*; Arion *Oporini*, Caduceus *Frobenii*, Leo *Brylingeri*, Pedum *Epiſcopii*, Malleus, rupem percutiens, *Henrici Petri*, Cancer, papilionem capiens, *Frellonii*, Aquila inter ſerpentes *Rovillii*, Gryps *Sebaſtiani Gryphii*, Oliva *Stephanorum*, *Herwagii* triceps, Mercurius, Rana *Froſchhoveri*, Ancora, manibus ſuſtentata, *Criſpini*, Pegaſus *Wechelianus*, Circinus *Plantinianus*, aliaque multa talia, relatu difficilia, non parum mihi delectationis præſtiterunt.

Eſſent alia multa non injucunda: ut Elementale Hebraico-Germanicum Hundsfeldiæ Anno 1543 impreſſum; Libellus, explicationem Tabulæ Septentrionis continens, ab homine Gotho, *Olao Magno* factus in honorem, ut ſcribit, Senatus Dantiscani, & lingva quidem Germanica, ſed charactere latino Venetiis impreſſus, ſicque multa paradoxa jungens, aliaque, quæ peculiare aliquid habent, copioſisſima, ſed plura addere vereor.

Curioſus. An verò & tu, Amice, in librorum involucris aliquid curioſum, & notabile, inveniſti?

Bibliopegus. Plura certè quam hic referre licebit. Ipſe nitor librorum plurimorum laudari meretur, quem non ſine delectatione contemplatus ſum. Libri Rehdigeriani ex parte corio rubicundi coloris ſcitisſimè elaborato, ex parte membranis albis compacti, omnes ferè aureis priſci poſſeſſoris inſignibus, aureisque ductibus aliis ornati ſunt. Libros recentiores nitor, & membranarum puritas commendant; his tamen omnibus pasſim alia immixta ſunt miro artificio involuta. Miratus ſum volumina quædam Manuſcripta, in Græcia ante aliquot Secula, ut dicebatur, compacta, quæ ſive foliorum conjunctionem, ſerico verſicolori factam, ſive tabulas ligneas corio obductas, & crenulis in fronte diviſas, ſive umbilicorum, aut ligularum formam ſpectes, ubique aliquid, recedens à noſtris moribus, habent. De Turcicis Manuſcriptorum Arabicorum involucris nihil dicam, quæ hodierna ſpoliorum Turcicorum frequentia ſatis nota reddidit. Præ cæteris delectabar Bibliorum Gallicorum magno volumine, quod tàm in fronte, quàm involucro miris auri, variorumque colorum ductibus, & exacta linearum ſubtilitate, & coriorum ſubtilium ſibi invicem impoſitorum mira connexione omnium Bibliopegorum diligentiam provocare mihi videbatur. Eadem arte, ſed longè adhuc majori linearum & figurarum ſubtilitate ad admirationem usque exacta,

Engve-

Engverani Monſtreleti Hiſtoriam Gallicam duobus voluminibus compactam vidi; nec minus miratus ſum Gloſſarium quoddam Græcum ad Græcorum ferè imitationem, in Occidente tamen, compactum, & elegantisſimè inauratum. *Polydori Vergilii* verſionem Hiſpanicam involucro ornatam vidi, quod ductibus viridi, cæruleo, albo, rubicundo & aureo colore interſtinctis ornatum, velut encauſtum quoddam referebat. Præcipuè in antiquioribus, ſive Manuſcriptis, ſive impresſis codicibus umbilicorum denſitatem, ſummamque diverſitatem miratus ſum, quorum nonnulli pondere ſuo ipſum ferè æquare librum poſſent. Præpararunt olim artis meæ Magiſtri libros, quaſi in æternum duraturos; nunc verò prudentiores redditi leviora paramus, quo poſt brevem uſum undique fatiſcentibus libris, iterum habeamus, quod agamus. Sed video alios accedere, quorum præſentia me tacere jubet.

(Theologus, Politicus, Medicus, Hiſtoricus, Philologus accedunt.)

Theologus. Salve, Vir Nobilisſime, & ignoſce colloquia tua cum bonis hiſce viris turbantibus.

Curioſus. Et vos ſalvete, æſtumatisſimi Viri, quorum adventus mihi, ut exſpectatisſimus, ſic jucundisſimus eſt. Subſellia hæc quæſo occupate, & niſi grave vobis eſt, amabili colloquio exigui temporis mentem meam reficite.

Theologus. Obſequimur juſſui tuo, &, quo deſideriis tuis ſatisfacere valeamus, ulteriora mandata tua expectamus.

Curioſus. Diem hunc rei litterariæ dedicavi, quam aliis vitæ humanæ deliciis me anteponere noſtis; & in ſpecie recordationi rerum nuper in Bibliotheca Eliſabetana viſarum horas præſentes deſtinavi. Fuere, qui picturarum, ſculpturarumque Cimelia, alii, qui rerum naturalium jucunda ſpectacula, alii iterum, qui Numiſmatum theſauros in men-

tem revocarunt; vos, quibus libraria ſuppellex curæ cordique eſt, de eâ quæſo ſermonem præſentem inſtituite.

Theologus. Opportunisſimè rem poſcis & animo, & memoriæ noſtræ convenientem. Idem enim locus ante paucas horas congregationis noſtræ cauſa fuit, ex quo recedentes in Te hic incidimus, earundem rerum curioſum, quæ nos per tempus aliquod delectarunt. Vobis, Viri Honoratisſimi, ut ſpero grave non erit Fautoris noſtri deſideriis aſſurgere, & rem nobis ipſis adeò gratam in animum revocare.

Politicus. Et gratum, & utile erit, maturata repetitione firmius menti imprimere, quæ vidimus. Si noſtrum quilibet ſibi maximè arridentia citaverit, ſufficientem habebimus differendi materiam.

Medicus. Sufficientem certè, imò ſuperfluam, licet aliquot dies colloquio huic deſtinati eſſent. Cum de fine in tanta rerum copia deſperandum ſit, certè & initium conſtituere, difficile erit, cum neutrum alteri prærogativam concedere velle videatur.

Hiſtoricus. Omnia referre nec posſibile, nec neceſſarium erit. Præcipua, quæ in mentem veniunt, indicare nobis liceat, ſic nec otioſa adferemus, nec tædioſa.

Curioſus. An verò tantam hic librorum ſingularium copiam inveniſtis?

Philologus. Non nimiam, curioſo tamen ſpectatori ſufficientem. Sex millium numerum tota ſuppellex libraria non multum ſuperat, fatendum tamen, pauca adeſſe, quæ levioris pretii nominari poſſent. Ex duobus præcipuè corporibus, hucusque ſeparatis, tota Bibliotheca conſiſtit, Rehdigeriano altero, altero à Benefactore recentiori per Teſtamentum relicto, cumque utrumque curioſum, & eruditum collectorem habuerit, alterum quidem ſuperioris, alterum noſtri Seculi; hinc maximè notabile mihi viſum, quod Rehdigeriana Bibliotheca editiones Autorum priores, easdemque

que optimas Venetas, Pariſienſes, & Baſileenſes præcipue, altera ex adverſo nitidiores noſtri Seculi Antwerpianas, Pariſienſes & Amſtelodamenſes exhibeat, ſic altera alterius non injucundum ſupplementum eſt.

Theologus. A Politicis collectam Bibliothecam tantum rerum Theologicarum, ſanctorum præcipue Patrum, numerum habere miratus ſum, ex quibus editiones hujus Seculi probatisſimas recentiori illi Bibliothecæ parti ineſſe vidi. Numerum inire, & rerum titulos referre nimis prolixum esſet, ſufficit erudito ſpectatori, quod ſpem ſuam rerum ſacrarum apparatu minime falli videat. In Rehdigeriana præter *Biblia regia*, *Conciliorum* collectionem *Binianam*, editionem *Chryſoſtomi* Etonienſem, aliaque cimelia, Helvetiorum Theologorum in Biblia Commentarios ſatis copioſos inveni. Sic ultra 40 Bibliorum editiones adeſſe vidi, aliaque talia, ſatis prædicanda. Quid in Patrum aliorumque ſcriptis deſit neceſſarium fere, & quo Bibliotheca publica vix carere poteſt, novi quidem; ſed cum hic pauca, præter liberalitatem, redituum adjumenta ſint, defectûs æquo animo tolerandi erunt.

Politicus. Et me non pauca hic delectarunt, ſtudiis & utilitati meæ convenientia. Juridicorum librorum non magnus adeo in citatorum Bibliothecis apparatus adfuit; ſed ſupplevit aliquo modo defectum *Chyſoſtomi Scholtzii*, Profesſoris Eliſabetani, poſt Scabinographi Wratislavienſis liberalitas, qui Bibliothecam ſuam, Juridicis libris ditiorem Rehdigerianæ junxit. Et plenisſimam *Oceani Juris*, ſeu *Tractatus tractatuum* editionem, 27. voluminibus conſtantem, & alia Jureconſultorum celebrium opera permulta vidi, quæ tamen recenſere prolixius ſuperſedeo.

Medicus. Idem fatum fere Medici habent, quorum non copioſa adeo ſcripta hic repoſita ſunt. Quædam tamen non ſpernenda inveni; inter recentiores quidem libros Anatomiam

miam *Bidloianam*, & chimicarum rerum haud exiguum apparatum; in Rehdigeriana Bibliothecâ *Geſneri* & *Aldrovandi* quædam, *Salvianum* & *Rondeletium* de piſcibus, aliaque ſatis pretioſa. Sed plura fuere, quæ expectationi meæ ultra ſpem ſatisfecerunt. Studiis Medicis ſemper Mathematicarum rerum exercitia junxi; hinc ſummopere delectabar, cum Bibliothecæ partem recentiorem rerum Mathematicarum ſupellectile prorſus egregia, ſatisque pretioſa ornatam videbam. Nihil tàm pretioſum fuit, quod Collectorem curioſiſſimum à comparatione abſterruerit; hinc optima quæque hic inveniuntur, Matheſeos cultores afficientia.

Politicus. Et ad meas partes hæc ſpectant, non modò ob animum, iisdem ſtudiis deditum, ſed & præcipuè ob utriusque Architecturæ apparatum ſtatui civili maximè neceſſarium, quem ſumma diligentia, & exacto judicio hic collectum vidi. Libros, ſcientiam hanc concernentes, pretioſiſſimos eſſe, quis neſcit? ſed nihilominus hic pauca deſunt eorum, quæ circino Architectorum & Sculptorum cælo hucusque curioſorum uſui parata fuere.

Hiſtoricus. Me forſan aliis feliciorem fuiſſe, ac plura ad palatum meum facientia, quam cæteri, hic inveniſſe, gloriari potero. Non exigua Hiſtoricorum, non ubique obviorum, copia in Rehdigeriana Bibliotheca ſervatur; ſed altera hac parte multis aliis palmam præripit, & numero, & ſelectu Hiſtoricorum quemlibet curioſum animum alliciens. Specialia recenſere nec mihi licitum erit, exemplis veſtris ad brevitatem adſtricto; hoc tantum dico, Hiſtoricorum Græci, Latini, Germanici, Italici, Gallici, Hiſpanici, Belgici idiomatis ſufficientem adeſſe copiam, quæ adſpicientium, & inquirentium exſaturare deſideria poſſit.

Philologus. Prout omnia à vobis recenſita, Viri doctiſſimi, fori mei ſunt, quippè qui quamlibet literariæ rei partem curioſis oculis perquiro, ſingulisque inſtrumenta parare & expo-

expolire laboro: ſic & in ſpecie, quæ vos minimè tetigiſtis, Philoſophica & Philologica tangenda mihi erunt. Utrumque conditorem Bibliothecæ hujus harum rerum & eruditum, & curioſum fuiſſe, apparatus earundem hic comprehenſus ſatis oſtendit. *Thomam Rehdigerum*, qui eo Seculo vixit, quo humanior literatura Nobilibus nondum dedecori habebatur, has artes exercuiſſe, vel ex ſexcentis Eruditorum ſuperioris Seculi conſtat teſtimoniis, ſed recentioris augmenti Collectorem, Generosâ proſapiâ, Arte & Marte inclytum, iniquiori ævo, & ſic illuſtriori exemplo, Nobilitati generis, bellorumque experimentis exactisſimam humanitatis notitiam junxiſſe admiratione certè dignum eſt. Sed illud non modò recens adhuc Eruditisſimi Equitis memoria comprobat, ſed loqvuntur etiam illud plutei tanta Philoſophicorum & Philologicorum codicum copia referti, ut artium harum Profeſſoribus abundè ſufficere posſint.

Curioſus. Breves eſtis in recenſendo, Viri Eruditisſimi, forſan ab impreſſorum codicum generaliori citatione, ad ſpecialiorem Manuſcriptorum recenſionem progreſſuri. Hoc ipſum me avidè expectare ex animo fateor.

Philologus. Hic eſt, Patrone, theſaurus, quo Bibliotheca hæc multis aliis palmam præripere valet. Hoc eſt jucundum animorum pabulum, quovis ſeſamo & papavere dulcius, quò curioſorum animi vel maximè afficiuntur. Si meo arbitratu res ſtaret, Manuſcriptorum apparatum hic exiſtentem omnibus reliquis totius Bibliothecæ Gazis multò pretioſiorem, multò præſtantiorem judicarem. Euge, Viri optimi, repetamus quædam ex iis, quæ paulò ante tanta ſvavitate animum noſtrum impleverunt.

Theologus. Fateor, me in Manuſcriptorum horum evolutione plura reperiſſe, quam mihi priùs promiſeram. Dies deficeret, ſi omnia referre deberem, quæ hic animum meum delectarunt. Citare tamen quædam volo, dum exactior de-

ſcriptio multum ſibi temporis poſceret. Tres inveni *Bibliorum* codices integros, quorum duo majores, tertius parvus, minutulo ſed puro exactoque charactere ſcriptus, decimi tertii Seculi ætatem præ ſe ferre videtur. *Novum Teſtamentum* bis apparet, quorum alterum circa finem Seculi XIV. ſcriptum, quatuor *Evangelia* antiquisſima, charactere Longobardico exarata, *Pſalmi* cum Commentario, ſatis diſtinctè ſcripto, *Canticum Canticorum*, cum *Willerami* Mersburgenſis paraphraſi Poëtica & Teutonica, *Evangelium Johannis* cum Commentario, aliæque ſacrarum Literarum partes ſpectatu dignæ ſunt.

Philologus. Willerami, quam citas, Paraphraſis elegantisſimum Germanicæ Antiquitatis monumentum eſt, ex quo diſcimus, quis lingvæ Germanicæ ſtatus Seculo undecimo fuerit, quo Willeramus, ſub Henrici IV. imperio, ſcripſit. Digna res eſſet, quæ ſpecimine adducto declararetur, niſi illud aliarum rerum copia impediret.

Theologus. Commentariorum in ſacra Biblia, præter Patres antiquos, varii hic habentur. *Henrici de Hasſia*, Theologi Viennenſis prolixitate noti, (qui ſedula multorum annorum prælectione vix IV Geneſeos caput attingere potuit) Introductio in Geneſin adeſt, cum adjuncta tabula mnemonica ſatis notabili verſibus conſcripta, ubi ſingulæ voces ſingula ſacræ Scripturæ capita non inutiliter in memoriam revocant. *Petri de Riga* Auroram, ſeu opus metricum in totam ſacram Scripturam Seculo XII ſcriptum, cujus editionem Chriſtianus Daumius, & Caſimirus Oudinus fruſtra orbi literato promiſerunt, hic integrum non ſine delectatione inſpexi; ſic *Johannis de Hesdinio* labores in Jobum & Epiſtolam ad Titum, *Nicolai de Lyra* in quosdam ſacræ Scripturæ Libros, *Diederici de Arnefeld* in Librum Sapientiæ, *Nicolai Tornacenſis* ſeu potius *Gorrhani* in Lucam; Anonymi cujusdam in omnes Pauli Epiſtolas, aliosque adeſſe obſervavi. Patrum ſcripta

cala-

calamo exarata recenſere prolixum foret; memini, ut ſola nomina citem, me hic non pauca *Gregorii Nazianzeni, Baſilii Magni, Hieronymi, Nemeſii, Prudentii, Joh. Chryſoſtomi, Epiphanii, Syneſii, Theodoreti, Auguſtini, Proſperi, Leonis Magni, Caſſiodori, Gregorii Magni, Iſidori, Johannis Damaſceni, Smaragdi, Anshelmi, Hugonis de Sacro Victore, Bernhardi,* & aliorum inveniſſe; nec *Probæ Falconiæ* cento deerat, verba Virgilii rebus ſacris applicans. Nec deſunt ſequentium Seculorum opera, Theologorumque memoriæ; & quidem Seculi XII *Richardi de Sacro Victore & Petri Blæſenſis*; decimi tertii *Joachimi* Abbatis, *Alani de Inſulis, Johannis de Rupella, Gvalteri de Caſtilione, Albertani* Cauſidici Brixienſis ſcriptis Theologicis vulgò ignotis laudem merentis, & magni luminis ſui ævi *Thomæ Aquinatis*, cujus hic non pauca conſervantur. Ex Seculi XIV luminibus hic notavi *Gvilielmum Ockam, Ægydium Columnam,* Romanum vulgò dictum, & *Franciſcum Mayronem,* Doctorem illuminatum. Seculi XVti plures adſunt, ex quibus *Nicolai Dünckelſpiel, Nicolai Weigelii* Sileſii, *Alphonſi Toſtati*, & *Joh. Gerſonis* ingenii monumenta quædam hic obſervavi. Taceo varias Sanctorum vitas, Acta Synodi ſeptimæ, ſermones varios in Conciliis, Conſtantienſi & Baſileenſi habitos, Menologium Græcum, & Calendaria Eccleſiaſtica latina, contra Wiclefitas ſcripta quædam, Precationum tàm Saxonicarum, quàm recentiorum duo volumina nitidisſimis picturis plena, Anabaptiſtarum ſuperioris Seculi Martyrologium, & alia non pauca Fanaticorum quorundam, *Jacobi Böhmii* præcipuè, & *Pauli Laudenſack* opera, aliaque multa, quæ rerum prolixitas tacere jubet.

Politicus. De tanto quidem apparatu rerum, ad mea ſtudia ſpectantium gloriari non poſſum; non tamen prorſus defuere, quæ expectationi meæ reſponderunt. Vidi quasdam Conſtitutiones *Juſtiniani Magni,* quæ in codice illius deſiderantur, Græcè ſcriptas, & *Thomæ Rehdigeri* manu, notu-

lis in margine additis, ſuis titulis in Codice repetitæ prælectionis, applicatas. His additum eſt opus *Michaëlis Proconſulis*, & Judicis Italicorum Græcum in quinquaginta Juris titulos; quæ omnia Juris Studioſos Græcæ literaturæ non negligendæ admonent. Ex aliis Juris antiquitatibus *Leges Longobardicæ*, accuratè ſatis ſcriptæ, Leges & Statuta Reipublicæ *Venetæ*, Statuta *Colonienſia* & *Trajectenſia*, imo & Jus provinciale *Sileſiacum* cum Hiſtoria juris illius præmiſſa ſatis notabili, hic inveniuntur. De *Theodori de Buckendorff* Remiſſorio Juris Saxonici, *Benedicti Reinhardi* Differentiis Juris Civilis, & Saxonici, *Hugonis Donelli*, *Jacobi Cujacii*, & aliorum variis & amplis in Jus Civile Commentariis nihil dicam; imò & Theologorum Juridicè ſcribentium opera, *Bartholomæi Piſani* ſumma, *Matthæi de Cracovia* opus de Contractibus, & alia citari poſſent. Prætermitto *Georgii Schönborneri* tractatum ineditum de libera per Viadrum navigatione, de Oppavienſi Ducatu ad Sileſiam pertinente opus, aliaque non pauca. Sic *Ægidii Romani* de Inſtitutione Principis opus auro, & picturis eleganter ornatum, Inſignia Comitum, Equitumque in Aula Bavarica in Belgio ante tria ferè Secula exiſtentium, Leges Torneamentorum Gallicæ, & alia hujus farinæ non parum mihi delectationis dedere. Dum & antea in impreſſorum codicum commemoratione Architecturam meis partibus attribui, hinc præter Tacticos antiquos, *Ælianum*, *Frontinum*, *Vegetium*, tacere non potero Gazas in hac re ſummè æſtimabiles, inter Manuſcripta recentiora inventas. Vidi hic exactisſima Architecturæ militaris ſchemata, ab artificioſa manu ipſius Generoſisſimi Collectoris, tanta diligentia, perfectione tanta, tantaque multitudine elaborata, ut curioſum, peritumque Spectatorem in ſtuporem rapere valeant. Taceo multa ad Architecturam civilem artem pyroboliſticam, Perſpectivam, aliaque talia pertinentia, ne vobis longo ſermone gravis ſim.

Medi-

Medicus. Et mihi, ut ſpero, referre licebit, quæ ad palatum meum hic eſſe deprehendi. Præ gaudio exultavi, dum hic, quod minimè ſperaveram, antiquos de Chryſopœja Autores, inter rarisſima Bibliothecarum Cimelia, à Lambecio, Morhofio, & aliis numeratos, inveni. Græcus textus ſcilicet integer adeſt, antiquisſimorum Chymicorum *Stephani Alexandrini, Pelagii, Oſtani, Democriti, Syneſii, Anepigraphi, Zoſimi, Olympiodori, Heliodori, Theophraſti, Hierothei* & *Archelai*, qui omnes, ut aliquando lucem videant, diu curioſorum votum fuit. Vidi & codicem antiqvum ſatis denſum ſcriptorum de Lapide Philoſophorum ingentem copiam continentem, cui quidam *Antonius Wale* relationem ſpecialisſimam de divitiis montium Giganteorum præmiſit. Reliqua Medica non quidem adeò magni momenti ſunt; adſunt tamen *Q. Sereni Sammonici* Liber poëticus de Medicina, *Alberti M. Arnoldi de Villa Nova, Boni de flumine*, aliorumque antiquiorum parvi tractatus; *Gentilis Fulginatis* in *Avicennam* Notæ, *Nicolai Curtii*, & *Hieron. Capivaccii* prælectiones Medicinales, Codex de omnibus rebus naturalibus picturis non aptisſimis quidem, copioſis tamen ornatus, liber ſatis antiqvus de corporis humani morbis & medicamentis, aliaque talia. Quod Mathematica concernit, etiam antiquorum quædam hic conſervantur. *Ptolomæi* tàm Almageſtum, quàm Quadripartitæ Conſtructionis opus, ſatis nitidè deſcripta, exſtant; nec Arabum *Albohazen Itali, Muhamedis Alfragani, Thebit Alchabitii*, aliorumque ſcripta deſunt, imò & *Georgii Trapezuntii* in *Ptolomæum* notas & Theoricam Planetarum hic inveni. Præterea *Arati* Phœnomena, *Cleomedis* circularem Meteororum inſpectionem, *Boëthii* Arithmeticam, *Joh. de Lineriis* Tabulas Aſtronomicas inſpexi, Calendariumque vidi ad Annum 1268 elaboratum. Curioſarum artium etiam quædam monumenta adſunt, Geomantia, Lingva Saxonica antiquiori ſcripta, *Fortolphi* Rithmimachia non illepida, *Jacobi de Ceſſolis* Ludus Schacoho-

cohorum, *Leonis Baptiſtæ, Alberti* de pictura liber, aliaque, à quorum ulteriori recenſione deſiſto.

Hiſtoricus. Me à recenſione rerum ad Hiſtoriam ſpectantium ferè multitudo deterret; ne tamen prorſus muneri meo deeſſe videar, quædam adducere volo. Hiſtoricorum apparatus, & copioſus, & nitidus eſt; plurimi enim codices membranacei ſunt integri & eleganter compacti. Ex Græcis *Joſephum*, *Appianum Alexandrinum*, *Philoſtrati* vitam *Apollonii Thyamæi*, & *Joh. Xyphilini* Epytomen *Dionis Caſſii* vidi; ex Latinis antiquis *Livium* nitidè ſcriptum, *Sallustii* quatuor codices, tria *Julii Cæſaris* exemplaria, tria itidem *Valerii Maximi*, quorum unum *Dionyſii de Burgo* amplo commentario inſtructum, & duo *Svetonii*, *Florum* quoque, *Juſtinum*, & *Aurelii Victoris* de viris illuſtribus Librum; quibus & Geographi *Pomponius Mela*, & *Vibius Sequeſter* annumerari merentur. Ex ſequentis ævi Hiſtoricis tria *Pſeudo-Hegeſippi*, *Pauli Oroſii* quatuor exemplaria, Variorum *Magni Aurelii Caſſiodori* tria, & unum *Jornandis* inveni; ex Conſtantinopolitanis verò Scriptoribus *Agathiæ Scholaſtici* Hiſtoria Juſtiniani M., & *Nicephori Conſtantinopolitani* Breviarium Græcè habentur. Ex mediorum Seculorum Hiſtoricis *Bedæ Venerabilis*, *Freculphi Lexovienſis*, *Sirchardi Cremonenſis*, & *Martini Poloni* Chronica, & ultimi quidem tria Exemplaria vidi, quibus etiam *Vincentii Belluacenſis* Speculum Hiſtoriale annumerandum. Res Seculi XIII. egregiè illuſtrantur per duos Epiſtolarum Codices, quorum unum *Petrus de Vineis*, alterum neſcio quis collegit, in utroque tamen curioſa & non ubique obvia habentur. Seculum XIV. hic optimè declaratum eſt *Ranulphi Higdeni* Polychronico, & *Joh. Froisſardi* Hiſtoria ſui temporis, quatuor ingentibus voluminibus comprehenſa, & inter curioſisſima æque ac pretioſisſima Germaniæ Manuſcripta meritò numeranda.

Curioſus. Audivi picturarum pretium Codices hos adeò nobiles, adeò æſtimabiles reddere.

Hiſto-

Hiſtoricus. Non nego magnam picturarum elegantiam eſſe; ſed majora hic ſunt, quæ animum meum afficiunt. Putat orbis Eruditus, ſe textum *Froisſardi* egregiè posſidere, quem *Dionyſius Salvagius*, Regis Henrici II. juſſu, quinquageſimo nono ſuperioris Seculi anno Lugduni publicavit, ſed fœdè decipitur, dum Codex hic impoſturam detegit, & *Salvagii* manu omnia, quæ Aulæ Gallicæ diſplicebant, deleta, vixque decimam Hiſtoriæ partem integram relictam eſſe, manifeſtum reddit.

Curioſus. Res certè eſt obſervatione digna, Codicisque pretium vel centuplo auget. Sed adde plura, quæ tibi dicenda reſtant.

Hiſtoricus. Non deeſt particularium Hiſtoricorum numerus. Res Orientales *Haithonis Armeni* Flos Hiſtoriarum, *Burchardi* deſcriptio terræ ſacræ, *Ditmari* peregrinatio in terram ſacram, aliæque particulæ ad expeditiones ſacras pertinentes, declarant. Galliæ Hiſtoria in Chronico Regum Franciæ Anonymi, & ejusdem ſtatus ſub Regibus Carolo VII, & Ludovico XI in Codice membranaceo latino, ab omni parte nitido, deſcribitur; Belgica in *Joh. de Beka*, & Anonymi alterius Chronicis Epiſcoporum Trajectenſium & Comitum Hollandiæ exhibentur, Polonicas res *Vincentii Cadlubko*, & Anonymi cujusdam Chronica Polonorum ſiſtunt, quorſum & Anonymi Hiſtoria brevis Crucigerorum in Borusſia ſpectat. Chronicon Hungaricum & duo Bohemica, amplaque Husſitarum Hiſtoria regnorum horum memorabilia exponunt. Ad res Italicas ſpectant Chronicon breve Ducum Venetorum, eorundem inſignibus ornatum, *Blondi Flavii* de initio & geſtis Venetorum opus, *Gvarini Veronenſis* Antiquitatis monumenta, *Ant. Minucii* Hiſtoria Sfortiæ, aliaque. Rerum Germanicarum non exiguam notitiam ſuppeditat antiqvum Chronicon Eccleſiaſticum & Civile, Germanica lingva ſcriptum, Chronicon Auguſtanum ſatis amplum, *Joh. Steinhäuſeri* Chronicon

Salis-

Salisburgenſe, aliaque multa. Non exiguam rerum citandarum copiam omitto; ſed & ex paucis his conſtare puto, hic Bibliothecam Hiſtoricam Manuſcriptam non vilis pretii cuſtodiri. Unum ferè omiſiſſem, quod forſan reliquis omnibus anteponendum. Nihil magis animum affecit quam Autographa plurimorum, quos Seculum ſuperius vidit, Virorum celebrium monumenta, vix æſtimabilia. Epiſtolarum hic conſervatarum numerus ad 4000 ferè aſcendit, quingentorum & ultra Virorum Literis celebrium, in quibus quid rerum memorabilium, & fruſtra alibi quærendarum contineatur, vel me tacente omnes norunt.

Philologus. Optimè judicas, dum huic Epiſtolarum apparatui principatum inter curioſa hujus Bibliothecæ tribuis. Reliqua enim pretioſa licet, inveniri tamen alibi, & pretio parari poſſunt; hæc verò, quæ non niſi ſemel in orbe exſtant, vix ulli pretio æquiparanda veniunt. Multa in his, & plurima forſan ſtudiis meis apta inveni; ſed cum nimia multitudine laborent, ex aliis tantùm Philologicis, Philoſophicisque rebus in Codicibus Manuſcriptorum comprehenſis quædam delibare volo. Græca ſi præmittere licet, Catalogum Bibliothecæ cujusdam Græcæ vidi, multa notabilia, quorum jacturam hodiè eruditus orbis deplorat, continentem. Ex Poëtis *Homerum* aliquot codicibus comprehenſum, & in eum prolixas *Euſtathii* notas, *Heſiodum, Pindarum, Euripidem, Lycophronis* Alexandram, *Hephæſtionis* metra, imò & *Orphei*, & *Apollonii Rhodii* Argonautica hic inveni. Ex aliis antiquioribus Græcis multa *Ariſtotelis, Iſocratis, Xenophontis, Demoſthenis, Phalaridis, Palæphati, Dionyſii Halicarnasſenſis, Plutarchi, Libanii Sexti Empirici,* imò, & Rhetorum *Aphthonii, Hermogenis, Ammonii,* aliorumque hic apparent. Ex recentioribus Græcis non pauca opera *Maximi Planudis, Theodori Gazæ, Georgii Pluſiadeni, Manuelis Moſchopuli, Gemiſthii Plethonis,* & *Michaëlis Apoſtolii* hic conſervantur, qui ultimus non parum honeſtas mentes commovet, dum de ſe fatetur,

quod

quod ἐν Κρήτῃ, μετὰ τὴν τῆς αὐτοῦ πατρίδος ἅλωσιν πενίᾳ συζῶν, non pauca hic conſervata ſcripſerit. Latina Manuſcripta & elegantiâ, & numero ſe commendant. Ex antiquorum Poëtarum operibus *Terentii* Comediæ ter adſunt, *Virgilius* quinquies, *Ovidius* bis apparet, *Horatius* ter, etiam *Acronis* Grammatici notis inſtructus, extat. *Senecæ* Tragœdiæ quinquies, & *Nicol. Traveth* in eum notæ, *Lucanus* octies, *Juvenalis* novies, *Perſius* bis ſe conſpiciendos præbent. Sic & *Statii* duo Codices, *Calpurnii* Bucolica tantundem & *Claudiani* opera hic ſpectanda ſiſtuntur. De rerum ruſticarum antiquis Scriptoribus, *Ciceronis* operibus copioſè hic inventis, *Senecæ* quibusdam, *A. Gellii* noctibus, *Macrobii* ſcriptis, *Quintiliani* Inſtitutionibus, *Iſidori Hiſpalenſis* Etymologio, aliisque plurimis non multa verba faciam. Ex Poëtis Seculorum propinquiorum *Dantis Aligerii* opera ter adſunt, *Gregorii Corrarii* Progne nitidisſimum opusculum, *Nigelli Wireckeri* Brunellus, *Gvalteri de Caſtilione* Alexandreis, *Galfridi Vineſauf* Poëtria novella, Rhetorica ſatis curioſa, *Sclavi de Barre* documenta, *Joh. Aretini* Poëmata Latina & Italica, & præter *Willeramum* & *Petrum de Riga* ſupra citatos, *Brunonis de Schonebek*, & aliorum Germanici Rithmi ſatis antiqui, aliaque talia contemplationem, merentur. *Petrarchæ* opuscula quædam, *Richardi de Buris* Philobiblon, *Gvilielmi de Conciis* Apothecam moralem, *Antonii Panormitæ*, & *Leonhardi Aretini* epiſtolas, *Leonis Bapt. Alberti* Momum, & alia, etiam ex recentioribus *Martini Zeidleri* Alphabetum Terentio Plautinum, vaſtum opus, *Matthiæ Berneggeri* varia, *Joachimi Clutenii* de re nautica, Monumenta Sileſiæ, Inſcriptiones, Epiſtolas, aliaque varia levi pede transeo, nec licitum forſan erit ulteriora auribus defatigatis tædia creare.

Curioſus. Hæc ſine dubio præſtantiora hujus Muſei erunt, quæ vos, honoratisſimi Viri, tanta dexteritate recenſere voluiſtis.

Philologus. Optima quidem, ſed non omnia. De variis rebus æque curioſis ad rem ſcriptoriam pertinentibus, Chryſographia inter artes deperditas numerari ſolita, hic copiosè apparente, de minutisſimi characteris admirabili artificio, cujus & hic quædam rara ſpecimina habentur; & aliis diſſerere, operæ pretium eſſet, ſed ipſa modeſtia clauſulæ necesſitatem nobis imponit.

Curioſus. Diſſolvamus ergò, ſi ita vultis, conventum noſtrum rerum curioſarum copia exſaturati. Vobis, eruditisſimi Viri, qui deſiderio meo non deeſſe voluiſtis, conſtantes ad continuandam ſedulitatem adeò laudabilem animi corporisque vires apprecor, & me pro tanta benevolentia veſtra ad quælibet officiorum, & reciproci amoris genera promptum paratumque offero.

Politicus. Et te eruditæ curioſitatis Patronum cœleſtis gratia conſervet, pluresque tui ſimiles excitet, quo demum Seculum noſtrum ab irruentis Barbariæ timore liberum, quotidiana videat bonarum Litterarum incrementa.

Theologus. Hoc omnes uno ore tibi apprecamur, Vir nobilisſime, &, ut colloquia noſtra, deſideriis tuis minimè reſpondentia æqui bonique conſulas, rogamus. Nec ſine voto diſcedimus, ut Cimeliarchium hoc, cujus memoriam recoluimus, ſub cœleſti præſidio tàm à caſuum, quàm humanæ malitiæ adverſitatibus tutum ſemper & pietati, & utilitati Eruditorum pateat, & creſcente indies Benefactorum liberalitate auctum inter meliora creſcentis Eruditionis adminicula nomen mereatur.

EPILOGUS.

Ars Scriptoria, Typographia.

Scriptor. Vix tolerare valet nimios mea dextra labores
Feſſa diu; replent ægram faſtidia mentem.
Conſcripſi valido numeroſa volumina niſu,
Dum vegetam, juvenemque prius bonus ardor agebat;
Implevi pasſim doctis armaria chartis,
Nunquam feſſa manu, non langvida facta labore.
Aurea ſcribebam pulchris elementa figuris;
Nunc titulus minio, nunc ſvavi pagina ductu
Exornata, meum latè fundebat honorem.
Barbara ſed triſtem fœdarunt Secula; libros
Scribere multiplici calamo cogebar ineptos;

Donec

Donec in abſurdis laſſata laboribus, ægrè
Quicquam præteriti potui retinere decoris.
Membra fatigatis jam viribus omne recuſant
Laudis opus; nimio librorum pondere parvæ
Doctrinæ laſſata fui. Nunc artibus ætas
Omnibus interitum triſtem grandæva minatur.
Scilicet inſulſo nimium ſuppreſſa labore
Perdo manum, calamumque ſimul, jam proxima fato.

Typogr. Tolle oculos, animumque ſimul, gratisſima mater;
En ſociam, quæ te memorando ſublevat auſu!
Non tuus asſiduis feſſus conatibus ardor
Deſtituat miſero planctu calamumque manumque.
In tua me cœlum tandem ſolatia mittit;
Hujus inexhauſto promanans gratia fonte
Temporis extremi me deſtinat uſibus aptis.
Natales mihi grata dedit Germania gratos,
Inſolito quæ me docuit tua ſcripta labore
Exprimere, atque typis felici ſorte paratis
Paucorum ſpatio totidem abſolviſſe dierum,
Quot calamis vix mille tuis finire per annum
Permiſſum fuerat; calamus multoque labore
Quod ſemel abſolvit, ſubitis mea præla figuris
Imponunt chartæ vicibus vel millibus; amplos
Sic producta fero cunctis mortalibus uſus.

Scriptor. Grata mihi, ſed mira refers; modò langvida poſſet
Mens mea promiſſum ſatis agnoviſſe juvamen.
Aſt rigidum, fateor, prorſus mihi tempus ademit
Spemque animumque ſimul. Satis haud intelligo ſortem
Quam mihi promittis; nec ſentio mæſta levamen.

Typogr. Rem fero, quam par eſt oculo luſtrare ſagaci,
Nec ſatis eſt audiſſe meos, quos præſto, labores.
Singula namque paro variis elementa metallis
Multiplici repetita vice, & compono decenti
Stannea verba loco; ſic quævis excipit aptas
Linea lineolas, ſic pagina jungitur ipſa;
Sic junctam firmare ſcio, & ſupponere prælo.
Sic ſemel aptatas numeroſis imprimo chartis
Scripturas, & opus repeto; gratoque labore
Scripta parata ſemel vel mille volumina ſiſtunt.

Script.

Scriptor. Me cupidam fateor tantas cognoſcere dotes,
Inventumque tuum, quod tanta levamina ſpondet.
Opportuna meis ſuccurris viribus, amplo
Pondere proſtratis. Periiſſent optima priſci
Temporis & ſolidè docti monumenta laboris;
Barbaries etenim totam me prorſus ineptam
Reddiderat; nec docta legens, nec ſcribere verè
Docta valens, ſtupido chartas maculare labore
Aſſvevi, hinc laſſam capiunt faſtidia mentem.
O utinam tu, chara, orbem reparare valeres!
Typogr. Hoc valeo, dilecta; tuos conquiro labores,
Quos olim vegeto niſu tua dextra paravit.
Nunc varias docto mentes incendo calore
Quæ tardum removent oculis triſtemque ſoporem;
Excutiunt alacri pluteos, foruloſque labore,
Pulvere nec fœdo terrentur, & omnia priſcæ
Scripta mihi Sophiæ penitus reparanda miniſtrant.
Scriptor. O quam grata refers! animo quam dulcia laſſo!
Nunc reparata, novis collectis viribus, omnes
Ingenii nervos ad doctas tendere curas
Enitar. Potero leviori docta labore
Scribere, quæ ſcripſiſſe ſemel jam ſufficit; amplo
Non toties cogar deſcribere cuncta labore.
Junge manum, dilecta ſoror; niſuque decenti
Barbariem proſterne feram. Sic integer orbis
Plenus erit doniſque tuis, & laudibus amplis.
Typogr. Ad vegetos, dilecta veni, gratoſque labores.
Trade tua quæ ſcripta manu; repetita videbis
Multiplici grataque vice, & melioribus apta
Uſibus. Inſignem par eſt augere decorem
Bibliothecarum, quas nunc numeroſior ordo
Librorum decorare valet. Mortalia quæſo
Pectora ſollicitas tumido non ſpernite faſtu
Quas gerimus curas, ſed mente prehendite gratâ.
Credite, veſter honor noſtro conamine durat.
Divitiæ, ſplendorque abeunt, faſtuſque ſuperbus;
Gloria veſtra perit, niſi conſervata typorum
Vel calami fuerit mundo commiſſa labore.

S. D. G.

SPECIAL 88-B
30167

GETTY CENTER LIBRARY